

Sept. 17. Petrus Gathana

O. CHRISTOPH. PESLERI D.
ADEMIA AVGUSTISS. PRVSSOR. REGIS VIADRINA
INSTITVT. PROF. DESIGNATI
SERIES
D V C V M
C A R I N T H I A E
SAECVLIX. X. XI. XII. XIII. ET XIV.
E
DOCVMENTIS PRISCI AEVI
CONCINNATA



VITEBERGAE
APVD CAROLVM SIGISMUNDVM HENNINGIVM
A. O. R. c. 1500. xxxx.

E72931

THE LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES
SERIALS SECTION
DEPARTMENT OF
LIBRARIES AND INFORMATION
SERVICES

517931 2000 3202

MAY 2000

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202

2000 3202



13 FEB 2000

2000 3202

*L 69 N
2227*

ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO DE BRAND
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS SVMMO
TATVS ADMINISTRO RERVM ECCLESIASTICARVM
DIRECTORI CONSISTORIORVM MARCHICI ET GALLICI
PRAESIDI OMNIVMQUE ACADEMIARVM REGIARVM
CVRATORI SVPREMO
DOMINO INDVLGENTISSIMO

PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
FRIDERICO DE REICHENBACH
POTENTISSIMI PRUSSORVM REGIS
CONSLIARIO INTIMO CONSISTORII ET DIRECTORII
RERVM ECCLESIASTICARVM PRAESIDI SECUNDO
ATQVE REGIARVM ACADEMIARVM
CURATORI
DOMINO GRATIOSISSIMO

ILLVSTRISSIME PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIMI DOMINI
DOMINI GRATIOSISSIMI



Et hoc in more positum hominibus, quibus non suppetit, unde creditoribus sine mora et confessim satisfaciant, ut interim, dum numos conquerant, vel oppignorato peculio, vel fideiussoribus constitutis, satiscent, aut, si horum quoque copia deficit, saltem litteris caueant. Ego vero, ILLVSTRISSIME PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI DOMINI, in eam me conditionem adductum esse, video, ut me et in praesenti nominibus, in quibus apud vos sum, explicare nequeam, et, in posterum unquam me soluendo parem futurum, maxime dubitem, ac plane desperem. Etenim cum alia omnia expectarem, summa auctoritas VESTRA et benignissimum de me iudicium effecit, vt AVGVSTISSIMVS PRUSSORVM REX amplissimis et munificentia REGIA plenissimis conditionibus in academiam Viadram me vocarit, iurisque docendi prouinciam clementissime mihi demandarit. Quo igitur certius est, pro

bis VESTRIS in me beneficiis gratias dignas, non dicam, referri, verum ne agi quidem, posse, eo difficilius erit, pro aeris, quo VOBIS obstrictus sum, magnitudine, uel pignora idonea, vel sponsores satis locupletes, inuenire. Itaque mirum in modum, ac omni, quae cogitari potest, pietate oro et obsecro, ut, quas VOBIS, ILLVSTRISSIME PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI DOMINI, schedas in signum perpetui nexus demississime offero, ea, qua me dignari coepistis, gratia, accipiatis, persuasumque VOBIS habeatis, me, dum superstes ero, VESTRORVM in me meritorum memoriam conseruaturum, atque omni contentione elaboraturum esse, ut intelligatis, in tanta gentium multitudine, quae Prussica sceptra venerantur, neminem esse, cui vel fidei et subsequi religione sanctissima in PRINCIPEM, vel deuotissimo VESTRI cultu et obediendi alacritate, postponendus esse videar.

ILLVSTRISSIMI PERILLVSTRIS

ATQVE

EXCELLENTISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Vitebergae

XII. Kal. April.

A. O. R. CIO 1000 XXXX.

Subiectissimus cliens

IO. CHRISTOPH. PESLERVS.



PRAEFATIO AD LECTOREM

N omina tibi offero, L. B. ducum Carinthiae, non historiam ipsius ducatus, aut pleniores quandam rerum, a ducibus Carentanis gestarum, re-censionem. Hanc enim scribere, animus non fuit. Et, si fuisset, nec otium, nec praefidia, ad rem tantam moliendam necessaria, suppeti-issent. Ac ne series quidem principum, ad ra-tiones temporum a me constructa, ita ex omni parte

parte est colligata, vtne egomet ipse fateri debbam, manca quaedam et lacunosa a me relicta esse. Nullus quoque est ex omnibus, quotquot enumeraui, ducibus, cuius natalem, scriptoris veteris auctoritate munitus, indicare potuerim. Pauci sunt, quorum emortualem certo definire licuerit. Nec raro ipsi anni, quibus obierunt, vel ignorantur omnino, vel saltem non sine varietate historicorum referuntur. Non defuturos igitur esse, praeuideo, qui, me superuacaneum laborem suscepisse, iudicabunt, qui in ducibus enarrandis substiterim, quos iam dudum LAZIVS, FVGGERVS, VALVASSOR, et REICHARTVS strictim dederrunt, MEGISERVVS etiam in vasto ac verboso opere ab obliuione vindicauit. Forte etiam erunt, qui me, magno volumine in formam *disputatiunculae* redacto, in legem de plagiariis atrociter deliquisse, libello, vel non viso, vel saltem non lecto, mero obtrectandi studio, dictatoria quadam voce pronuntiabant. Sed hos ego facile feram, probe gnarus, tanti non esse

P R A E F A T I O

esse in republica litteraria illorum suffragium,
a proletariis quippe et capite censis dictum,
quod continuo sequantur omnes, aequi prae-
sertim, et a partium studio remoti, et in his
rebus versati. Te autem L. B. nescire nolo,
ea, quae LAZIUS et MEGISERVUS, ceterique,
protulerunt, ita comparata non esse, ut me
a scribendo potuerint deterrere. Etenim
cum in eorum libris non minimam dissensio-
nem, etiam in ducum Carentanorum ordine
obseruarim, ac, quae ad familias eorundem
attinent, incertissima, saepe etiam conficta, esse,
animaduerterim, me quidem operae pretium
facturum, sperauit, si, scriptoribus antiquis in
consilium vocatis, ea, quae vel nullo auctore
a recentioribus affirmantur, falsi conuince-
rem, vel de iis, quae ambigua erant, certio-
ra afferrem, ac *seriem* in primis *ducum Carin-*
thiae, misere subinde conturbatam, veterum
monumentorum auxilio, emendarem. Quod
vero nihilominus non pauca a me in medio
relicta sunt, id a iustissimo quovis rerum ae-

XX

stima-

P R A E F A T I O

stimatore tanto mihi minus vitio vertetur,
quo certius est peritis, rarissimam apud supe-
rioris aei historicos Carinthiarum rerum oc-
currere mentionem. Nam et annales Au-
striaci s. s. R. R. D. D. BERNHARDI, et HIE-
RON YMI, PEZIORVM industria, laude mea
maiore, collecti, et publici iuris facti, me
quidem, res Carinthias conquirentem, praef-
fertim in saeculis remotioribus, destituerunt.
Tanto igitur magis optandum est, ut egregio
illo nobilissimi fratrum paris exemplo exci-
tentur reliquarum prouinciarum ciues, ac sacri
in primis ordinis viri docti, ad historiam patri-
am, reliquiis prisci aeti in lucem protractis,
illustrandam. Certe quantae in terris, AV-
GVSTAE GENTIS dominationi subiectis, di-
uitiae lateant, aeterna illa, reuerendissimi ab-
batis Gottwicensis, GOTTFRIDI, et s. R. D.
MARQVARDI HERRGOTTI, opera ostend-
dunt. Atque etiam *historia Alberti II. Au-*
striae ducis, a s. R. D. ALBERTO STEYRE-
RO admirabili studio adornata, demonstrat,
non

non esse adeo difficiles in iis regionibus
Maecenates, vtne, si *Marones* inueniantur,
sacrariis suis reseratis, thesaurorum, ibi re-
conditorum, fructum potentibus permit-
tant. Vel vnuſ enim hic liber tot tam-
que insignia documenta, publica ac priua-
ta, continet, quae omnem historiam, non
Austriacae tantum familiae, sed et cognata-
rum gentium, dilucidam reddunt. Inde
cum ego potissima, quae ad Henricum, du-
cem Tyrolensis prosapiae nouissimum, eius-
que coniuges ac liberos pertinent, deprom-
serim, ac in meos vſus conuerterim, grati ani-
mi officium postulare visum est, vtne erudi-
tissimi viri merita silentio praeterirem. Cum
enim in vniuerso opere eam fecutus est le-
gem, vt nihil eorum, in quae semel incidit,
defunctorie tractarit, tum Carentana, quae at-
tigit, tam elaborata sunt et absoluta, nihil vt
addi posse videatur. Subsistere igitur in
Meinhardo, ac filiis natu maioribus, omisso
Henrico, potuisse, nisi instituti ratio a me

P R A E F A T I O

efflagitasset, vtne filum meum prius abrum-
perem, quam tela, semel copta, continua
quadam progressione pertexta fuisset, maxi-
me, cum consilium, quo ad scribendum ac-
cessit doctissimus STEYRERVS, non per-
miserit, vt Carentana eodem loco coniun-
ctim persequeretur. Ceterum, vt ab enu-
meratione ducum antiquissimorum ob ni-
miam incertitudinem vltro abstinui, sic certe
non opus esse duxi, vt ad recentiores illos
ex Austriaca gente principes progrederer,
quippe qui in s. r. d. MARQVARDO HERR-
GOTTO tam excellentem praeconem nacti
sunt, quocum ego, nec ingenio, nec subsidio-
rum apparatu, me comparandum esse, luben-
tissime agnosco.

I. Magna

TABVLA GENEALOGICA I:

ducum, qui Carinthiam a saeculo XI ad saeculi XIV medium gubernarunt.

Duces Carinthiae gentis Franconiae

Conradus

dux Lothariensium, anno 955 ab Hungaris in praelio interfectus
§ IV. p. 13. n. 14. seqq.

Vxor, *Luitgarda*, Ottonis M. imperatoris filia,
§. IV. l. c. Add. Koeleri familia augusta Franconica

OTTO

dux Carinthiae, et marchio Veronensis,
§ IV. p. 13. n. 1. seqq.

Vxor, *Iuditha*, § V. p. 16. n. 5.

Henricus

dux Francorum. Eius vxor,
Adelheyda, filia Eberhardi,
comitis in Egenesheim.
vid. Koeleri familia au-
gusta Franconica.

Bruno

rektor marchiae Veronensis,
postea pontifex R. Gregorius V. nominatus.
vid. Koeleri familia au-
gusta Franconica.

CONRADVS

dux Carinthiae, mortuus
anno 1012. § V. p. 16. n. 1.
seqq.

Wilhelmus
episcopus Ar-
gentoraten-
sis, vid. Koel-
eri familia
augusta
Franconica.

CONRADVS

dux Carinthiae, creatus anno 1036.
mortuus anno 1039 XIII. Kal. Aug.
§ VI. p. 19. not. 1. seqq.

Bruno
episcopus Wurzburgensis,
constitutus anno 1034.
mortuus anno 1045. VII.
Kal. Iun. § VI. p. 20. n. 10.
seqq.

Diuersarum gentium dices Carinthiae

* * *

Welffo II, potentissimus comes in Suevia. Vxor
Irmengardis, seu *Iuditha*, e gente Luxem-
burgica. vid. Felleri Genealogische Historie
des Hausses Braunschweig c. 4. § 3. p. 17.

WELFFO III

dux Carinthiae, et marchio Veronensis, creatus
anno 1047. mortuus anno 1054. seu 1055. fine
prole. § VII. p. 22. n. 1. seqq.

Henricus IV, impe-
rator. Vxor I. *Bertha*
Vxor II. *Adelheyda*
seu *Praxedis* vid.
Koeler l. c.

Henricus V, impe-
rator, Koeler l. c.

* * *

N. N.

CONRADVS = frater — Henricus
dux Carinthiae, creatus
anno 1057. mortuus anno
1058. seu 1060. § VIII.
p. 25. n. 1. seqq.

comes palatinus Lotharingiae, vxorem occidit per
furorem, § VIII. p. 25.
n. 1. et p. 29. n. 14.

BERTHOLDVS

comes Zaringensis, dux Carin-
thiae, creatus anno 1060, ex-
auctoratus anno 1073. mortuus
anno 1077. § IX. p. 34. n. 4.
seqq.

Bertholdus

successor patris in Carinthiae
ducatu designatus, moritur
anno 1090. § IX. p. 34. seq.
n. 5. et 13.

Familia ducum Carinthiae Murzthalensis seu Eppensteinia

Marquardus

comes in Murzthal. § X. p. 37. n. 5. 6.

Marquardus

Marquardus § X. p. 37. n. 6.
Vxor eius, *Hadmuda*, Adalbero-

nis, comitis Ebersbergensis et
Semptani, filia § X. p. 38. n. 9.

Richardis, nupta anno 969, mortua anno 1019,
maritus eius, *Vlricus*, comes Ebersbergensis, § X.
p. 37. seqq. n. 6. seqq.

ADALBERO

dux Carinthiae, creatus anno 1012. exauctoratus anno 1035,
mortuus anno 1039. § X. p. 38. n. 9. seqq.

Vxor eius, filia *Hermann*, ducis Sueviae,
§ X. p. 39. n. 19. seqq.

MARQWARDVS

dux Carinthiae, creatus anno 1073.
obiit anno 1077. § XI. p. 42. n. 8.
Vxor eius, *Liutpirga* § XI. p. 43. not. 12.

Adalbero

episcopus Bambergensis, anno 1054.
factus, obiit anno 1057. XVI. Kal. Mart.
§ XI. p. 42. n. 1. 3. 4. seqq.

LVITOLDVS, seu LVITOLEVS

dux Carinthiae, factus 1077.
obiit 1090. § XII. p. 44. n. 3.

HENRICVS

dux Carinthiae, obiit
anno 1127. § XII. p. 45.
n. 11. seqq.

Vxor eius *Luitkardis*
§ XII. p. 46. n. 21.

Vdalricus

abbas S. Galli, et pa-
triarcha Aquileiensis,
obiit anno 1123. § XI.
p. 48. n. 34. seqq.

Hermannus

episcopus Patauiensis,
factus anno 1085, ob-
iit anno 1087. § XII.
p. 49. n. 40. seqq.

Familia ducum Carinthiae Sponheimensis seu Ortenburgensis.

N. N.

HENRICVS

dux Carinthiae factus circa
annum 1128. mortuus anno
circiter 1130. § XIV. p. 54.
not. 1. seqq.

ENGELBERTVS

dux Carinthiae, moritur anno
1142. § XIV. p. 55. n. 6.

Bernhardus

comes Carinthiae, mortuus anno
1147. in Palaestina § XIV. p. 56. n. 14.
Eius vxor, *Kunigundis*, Ottokari,
Stiriae ducis, amica, seu forte
amita. § XII. p. 56. n. 19.

VLRICVS

dux Carinthiae, § XVI. p. 60.
n. 1. seqq.

HENRICVS

dux Carinthiae, periit in Ionio
mari anno 1161. § XVI. p. 60.
n. 6. seqq.

HERMANNVS

dux Carinthiae, successit fratri,
Henrico, anno 1161. obiit 1181.
§ XVI. p. 62. n. 22. seqq.

VLRICVS

dux Carinthiae, § XVII. p. 66.
n. 1.

BERNHARDVS

dux Carinthiae, mortuus anno 1256. § XVII.
p. 66. seqq. n. 1. 6. seqq.
Vxor eius *Ieuta*, Przemislai, Bohemiae regis,
filia, § XVII. p. 69. n. 29.

VLRICVS

dux Carinthiae, mortuus circa annum 1269. seu
1270. § XVIII. p. 72. n. 2. seqq.

Vxor eius I. *Agnes*, filia Ottonis, ducis Meraniae
§ XVIII. p. 24. n. 17.

Vxor eius II. *Agnes*, filia Hermanni, marchio-
nis Badensis, postea Vlrico, comiti de Heun-
burg, nupta, § XVIII. p. 74. n. 18.

PHILIPPVS

archiepiscopus Salisburgensis,
dein patriarcha Aquileiensis,
mox dux Carinthiae, mortuus
anno 1279. § XIX. p. 77. n. 1.
seqq.

Bernhardus

sepultus in monasterio S. Ma-
riae in Landstrost § XVIII.
P. 72. n. 1.

filius et *filia*, ex Agnere Meranensi, ante pa-
trem obierunt, § XVIII. p. 74. n. 17.

TABVLA GENEALOGICA II.

* * *

Familia ducum Carinthiae Tyrolensis

Albertus, comes Tyrolensis.

§ XXI. p. 90. n. 10.

*Albertus, comes Tyrolensis, obiit
anno 1253. d. XXII. Iul. § XXI.
p. 90. n. 7. seqq.
Vxor eius, filia comitis de Andechs,
§ XXI. p. 90. n. 11.*

MEINHARDVS
comes Tyrolis, dux Carinthiae,
creatus anno 1286. mortuus anno
1295. prid. Kal. Nouembris. § XXI.
p. 89. n. 1. seqq.

Vxor eius, *Elisabetha*, vidua *Conradi IV.*
R. regis, filia *Ottonis*, ducis Bauariae, nupta
prid. Non. Octobr. anno 1259, mortua VII.
id. Octobr. anno 1273. § XXI. p. 90. n. 5.
seqq. et p. 91. n. 15.

OTTO
dux Carinthiae, obiit d. XXV
Maii anno 1310. § XII. p. 95.
n. 9. seqq.
Vxor eius *filia ducis Poloniae.*

filia, vxor *Petri*, *filia*, vxor
regis Siciliae, *Rudolphi*, co-
mitis palatini § XXII. p. 95.
ad Rhenum n. 10.
§ XXII. p. 95.
n. 10.

LVDOVICVS
dux Carinthiae, caelebs mor-
tuus d. 22. April anno 1305.
§ XXII. p. 95. n. 12.

filia innupta *filia* innupta
§ XXII. p. 95. n. 10. § XXII. p. 95.
n. 10.

Albertus
mortuus d. 23. April. anno
1292. § XXII. p. 94. seq. n. 6.
Vxor eius filia *Alberti*, comitis
de Heierloch. l. c.

Margaretha
vxor *Friderici*, burggrafi
Norimbergens. § XXII.
p. 95. n. 7.

Leopoldus
in pueritia defunctus § XXIII.
p. 103. n. 1. seq.

Leopoldus

in pueritia defunctus § XXIII.

p. 103. n. 1. seq.

Albertus, filius *Margarethae*
Maultaschiæ naturalis, § XXIII.
p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.

Albertus, filius *Margarethae*

Maultaschiæ naturalis, § XXIII.

p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.

Albertus, filius *Margarethae*

Maultaschiæ naturalis, § XXIII.

p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.

Albertus, filius *Margarethae*

Maultaschiæ naturalis, § XXIII.

p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.

Albertus, filius *Margarethae*

Maultaschiæ naturalis, § XXIII.

p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.

Albertus, filius *Margarethae*

Maultaschiæ naturalis, § XXIII.

p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.

Albertus, filius *Margarethae*

Maultaschiæ naturalis, § XXIII.

p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.

Albertus, filius *Margarethae*

Maultaschiæ naturalis, § XXIII.

p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.

Albertus, filius *Margarethae*

Maultaschiæ naturalis, § XXIII.

p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.

Albertus, filius *Margarethae*

Maultaschiæ naturalis, § XXIII.

p. 105. n. 9.

Margaretha Maultaschia

morta V. Non. Octobr. anno 1369.

Viennæ sepulta. § XXIII. p. 110. n. 46.

seqq. nupta,

I. *Ioanni*, Ioannis, Bohemiae regis, filio, ob impotentiam anno 1341. repu-

dato. § XXIII. p. 107. n. 21. seqq.

II. *Ludouico*, Bauariae duci, Ludouici IV, imperatoris, filio natu maximo,

anno 1342. qui obiit anno 1361. § XXIII. p. 109. n. 35. p. 110.

seq.



I.

N

agna olim, illustri **MASCOVIO**, iudice, fuit veterum Carinthiae ducum dignatio. Quam siue a summis eorum natalibus, siue a virtute populi, cui praefuerunt, siue ab ipsis prouinciae situ repetieris, mea quidem sententia minime errabis. Etenim ex postea dicendis intelligetur, inter tot gentes, quibus diuersarum aetatum duces orti fuerunt, nullam esse, quae cuiquam alii in Germania videatur postponenda. Incolarum autem tam eximia aliquando fama fuit, ut ab **HELMOLDO**, ob pietatis ac honestatis studium prae ceteris laudati fuerint. Denique et prouincia, limitanea quippe, et propter incursions barbarorum auertendas, et propter liberum ad Italos aditum, tantum momenti ad rem publicam nostram habere visa est, ve illam semper fidelissimis et sibi addictissimis principibus commendandam esse, caesares arbitrati sint. Tanto igitur magis mirari subit, inter tot prisci aeui scriptores, qui variarum regionum Germaniae historiam attigerunt, tam paucos reperiri, qui Carinthiae,

A

thiae, et ducum, a quibus gubernata fuit, mentionem fecerint. Ea enim, quae recentiores quidam, vel de principibus, vel de ducatus cum imperio coniunctione, tradiderunt, adeo incerta sunt et dubia, ut fides vel a maxime credulo iis adhiberi non possit. Si MEGISERV³ audiendus esset, ducatum iam a saeculo sexto peculiares rationes habuisse, indeque a Caroli M. aevo archiducatus nomine praeditum fuisse, crederemus. Sed quoniam id sine idoneo teste affirmatur, vix quidem est, cur tuto in eius sententiam transeamus. SCHOENLEBENIO⁴ saltem ea tanti visa haud est, quae pro explorata haberri posset. Quin etiam ingenuus confessus est, nullo haec fideiussore a MEGISERO relata in medio relinquenda esse. Idem animaduerterunt nostrorum temporum viri quidam insignes, ac in his ILL. LVDEWIGIVS⁵ et B. SPENERVS,⁶ reique difficultate ac incertitudine adducti, longissime a MEGISERI sententia recesserunt. Hic enim ducati Carinthiae omnino status controversiam mouit. Ille ducalis nominis originem a saeculo demum duodecimo repeterere maluit. SPENERVS certe, dum in Carinthiae mentionem forte fortuna incidit, in iis prouinciis eam numerandam esse, perhibet, quae nomen ducatus a principibus suis, ducali dignitate, iam aliunde conspicuis, naetae fuerunt. Nec multo benignius sentit D.N. DE LVDEWIG, quando Carinthiam, per plura saecula a marchionibus administratam, ducatus appellatione tunc demum au>am fuisse, scribit, cum, Bauaria a Conrado III et Friderico I caesaribus, in varias partes distracta, marchiones Austriae, Stiriae, alii, Boicis ducibus olim subiecti, sui iuris facti, ducale nomen aequa ac potestatem obtinuerunt.

1. IO. IAC. MASCOVIVS iuris publici L. IV. c. 5. §. 13. p. 253.

2. HELMOLDVS chronicus Slavorum L. I. c. 1. apud Leibnitium scriptorum Brunsvic. T. II. p. 538.

- 3 HIERONYMVS MEGISERVVS annalium Carinthiae L. V. c. 2.
p. 334. L. VI. c. 14. p. 493. et L. VI. c. 93 p. 659.
- 4 IO. LVDOV. SCHOENLEBEN Carniolae antiquae et nouae P. III.
p. 392. seqq.
- 5 IO. PETR. DE LVDEWIG Erleuterung der guldernen Bulle,
I. Theil p. 123.
- 6 CAR. IAC. SPENER im teutschchen Staats - Recht, L. II. c. 6. §. 5.
not. b. T. II. p. 276.

II.

Incidenter haec et ILL. LVDEWIGIVS et SPENERVS meminerunt, quibus proinde vitio verti nequit, quod nullas confirmandae sententiae rationes addiderunt. Dubito tamen, an satis firma potuissent praesidia inuenire, si haec sua latius demonstrare voluissent. Etsi enim ea, quae MEGISERVVS tum de vetustissimorum ducum serie, tum de ipsius Carinthiae statu et dignitate tradidit, defendere nec volo, nec possum, aequalium scriptorum auctoritate destitutus, attamen nec SPENERI et LVDEWIGII opinio-nes ita mihi comparatae videntur, iis ut assensum praebere queam. Nam, quod pace tanti viri dixerim, ILL. LVDEWIGIVS marchiones Carinthiae cum eiusdem prouinciae ducibus praeter ius fasque commis-cuit ac confudit. Certe, quo tempore Bertholdus Zaringensis ducali nomine ac potestate Carinthiae praefuit, a LAMBERTO SCHAF-F-NEBVRGENSI etiam marchio Carinthiae Vdalricus, com-memoratur. Atque etiam anno CIICXXVIII, quo Hen-ricus, Sponheimensis ac Ortenburgensis comes, in locum Henrici Murzthalensis, circa idem tempus defuncti, susse-stus esse dicitur, in CHRONICO AVSTRALI - Leupol-dus Carinthiae marchio occurrit. Ex quo cum satis elu-cet, duces ac marchiones probe a se inuicem esse discer-

nendos, tum et illud haud a verisimilitudine alienum est, Carinthiae marchiones ducibus Bauariae etiam antea, quam a ducatu Boico tot insignes prouinciae auulsae fuerunt, minime subfuisse. Etenim dum in **CHRONICO AVGVSTENSI** ³ marchiones, qui ducibus Bauariae olim paruerunt, enumerantur, marchiones quidem Austriae, Stiriae, Istriæ, Vohburgensis, seu Chambensis, nominantur. Sed Carentani vestigium est nullum. Ideoque me habere, puto, cur maximopere dubitem, an Carinthiae, quam dixi, marchia finibus ducatus Bauariae vñquam fuerit comprehensa. Fac tamen, etiam hanc marchiam intra limites Bauariae antiquae fuisse, et forte Istriam aut Stiriam marchiae Carentanae appellatione significari. Prius enim uideri posset, quod Adalbero, mox Istriæ, mox Carinthiae, dux a **WIPPONE** ⁴ vocatur. Posterius autem exinde colligeretur, quod eodem anno, qui Leupoldi Carentani marchionis emortualis fuisse, in **CHRONICO A V S T R A L I** narratur, etiam Leupoldus, Stiriae marchio, obiisse, a **DODECHINO** ⁵ refertur. Ne sic tamen inde consequetur, marchiam et ducatum Carinthiae vnam eandemque prouinciam denotare, cum vtramque a diuersissimis principibus administratam esse, probatissimorum scriptorum fide demonstrari possit. Sed haec quidem latius hic persequi, institutum meum non patitur. Neque etiam in **SPENERI** opinione refellenda multus ero. Cum enim mihi constitutum sit, in Carinthiae ducibus recensendis operam collocare, vel sua sponte apparebit, Carinthiam nostram ducale nomen iam dudum ante Conradi et Friderici, imperatorum, tempora iure proprio habuisse, indeque duces dignitatem suam et appellationem accepisse. Nam etsi ex iis quidam fuerunt, qui praeter Carinthiam etiam Foro Iuliensem, ac Franciae Orientalis, et Bauariae, ducatum procurarunt, plerique tamen eorum, ex comitum ordine desumti, hono.

honoris potius accessionem a territorio ducali consecuti sunt, quam quicquam dignitatis, alio nomine sibi competentis, cum prouincia communicarunt.

- 1 LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad annum 1062. apud *Pistorium* script. rer. Germ. T. I. p. 326. Sponsam eius (Wilhelmi, Thuringiae marchionis,) Vdalricus marchio Carentinorum cognatus eius accepit. IDEM ad annum 1070. p. 340. Vdalricus marchio Carentinorum obiit.
- 2 CHRONICON AVSTRALE ad annum 1128. apud *Freherum* Script. rer. Germ. T. I. p. 444. Leupoldus marchio Carentinorum obiit.
- 3 CHRONICON AVGUSTENSE ad annum 1153. apud eundem p. 510. Nam hue vsque quatuor marchiones Austriae et Styriae, Istriae, Chambensis, qui dicebatur de Vohburg, euocati ad celebrationem curiae ducis Bauariae veniebant, sicut hodie episcopi et comites ipsius terrae facere tenentur.
- 4 VVIPRO in vita Conradi Salici apud *Pistorium* T. I. p. 462. Duces autem supra dictis viris contemporanei hi fuerunt, Benno dux Saxoniae, Adalbero dux Histriae, Hetzilo dux Baioariae, Ernestus dux Alemanniae, Lutaringorum dux Fridericus, Ribuariorum dux Gozelo, Cuno Wormatiensis dux Francorum, Vdalricus dux Boemiae. IDEM l.c. p. 480. Eodem anno (1035) Adalbero, dux Carentanorum, imperatoris gratiam perdens ducatum amisit, et in exilium missus est.
- 5 DODECHINVS ad annum 1129. apud *Pistorium* T. I. p. 672. Lubaldus marchio de Steyre, vir corpore et animo praestans, defungitur.

III.

Si de iis tantum temporibus, quibus Carolus M. et Ludouicus P. imperarunt, SPENERVS loqueretur, facile concederem, separatas nētiquam Carinthiae rationes tunc fuisse, sed ducibus Foro Iuliensis illam paruisse. Occurrat ex iis Rotgatidus, quem, deuicto Desiderio, Longobar-

dorum rege, eiusque regno in potestatem Francorum redacto, in deditio[n]em accepit Carolus M. et Foro Iulientibus ducem praefecit. Postea autem, teste EGINHARDO¹ et ANNALIVM FRANCORVM auctore² res nostas molientem, anno DCCLXXVI in bello, contra eum suscep[to], occidit. Post hunc, Ericum quendam ducem factum, iudicem ANNALES FRANCICI³ et EGINHARDVS⁴ et SIGEBERTVS GEMBLACENSIS⁵ commemorant. Hunc Cadolaus excepit, eique, anno DCCCXIX febri extincto, surrogatus fuit Baldricus, ad cuius curam Carentanam regionem pertinuisse, auctor ANNALIVM REGVM FRANCORVM⁶ expressis verbis testatur. Huic cum ab initio tam feliciter res cessissent, ut et Carniolenses sibi subiecisset, et Carentanos, qui se Pannonis adiunxerant, ad obsequium Francorum reduxisset, mox, in ignauiam delapsus, propter fines Pannonios, contra Bulgarorum irruptionem non profide defensos, honore ac prouincia priuatus fuit. Aliam igitur ab hoc tempore faciem induit Foro Iuliensis ducatus, et, ANNALIBVS FRANCORVM⁷ testantibus, quatuor comitibus commissus fuit, quos sequens aetas a custodia limitum, ipsis demandata, marchiones dixit. Quam diu autem limitanei hi praefecti prouinciae praefuerint, in tanto scriptorum medii aeui silentio, affirmare non ausim. Illud contra ex ANNALIBVS FULDENSIBVS⁸ certum est, anno DCCLXI Carolomanum Carinthiae procurationem habuisse, ac patris Ludouici Germanici indignationem incurisse, cum Carentani limitis custodes, a patre constitutos, exauktorasset, aliis, quos sibi addictos esse cognouerat, in eorum locum ordinatis. Purgauit tamen se[le] Carolmannus a suspicione, in quam inciderat, et crimen, quod in maiestatem patriam admisisse arguebatur. Ideoque non dubito, prouinciam illi relictam fuisse. Quicquid interim huius rei sit, illud expeditum est, in divisione prouinciarum

rum Germanicarum, a filiis Ludouici Germanici facta, Carinthiam obuenisse Carolomanno, ac post mortem eius naturali filio, Arnulpho, una cum Mosburgo, munitissimo castro, a Ludouieo iuniore datam fuisse. At utrum hic, imperator factus, eam retinuerit, an in alium transtulerit, ego non dixerim, ut ut MEGISERVS⁹ Eberhardum, et, post hunc, Bertholdum Carinthiae praefuisse, scribat. Illud ego apud LUITPRANDVM TICINENSEM¹⁰ inuenio, Arnulphum malum, qui, teste ANNALISTA SAXONE¹¹ anno post C. N. DCCCCVII patri in ducatu Bauariae successit, eundemque ad annum usque DC CCC XXXVII administravit, Carentanam quoque regionem curasse. Sed non aequi mihi constat, num Luitpoldus, pater Arnulphi Bauari, nostram prouinciam rexerit, an vero Arnulphus, demum eo defuncto, a Ludouico infante, vel plane Henrico auceppe, limiti Pannonio sit praefectus. Neque certius est, an Bertholdus, qui, posthabitum Arnulphi fratris liberis, ducatum Bauariae ab Ottone M. accepit, etiam Carinthiae praeses datus fuerit. Quod si probaret quisquam, ego certe facile concederem, Henrico, fratri Ottonis M. qui, Bertholdo anno DCCCCXXXV defuncto, Bauariae ducatum accepit, Carinthiam quoque commissam fuisse. Sed huius quidem rei luculenta testimonia deficiunt. Denique nec illud ex scriptoribus aut documentis fide dignis demonstrari potest, quod de Conrado, Lothariensium duce, Ottonis M. genero, vulgo asseueratur, illum Bertholdo Bauaro in Carinthiae ducatu sussecutum fuisse. Agnouit hoc ipsum, pro ea, qua fuit, integritate, SCHOPENLERENIVS,¹² idque, quod de ducibus Carinthiae saeculi x. MEGISERVS¹³ et alii recentiores scriperunt, auctoritate veterum destitui, est professus. Non igitur satis certum est, quod de Henrico, Bertholdi filio, in locum Conradi amotus substituto, a LAZIO¹⁴ et MEGISERO¹⁵ et ab ipso quo.

quoque SCHOENLEBENIO ¹⁶ affertur. Evidem Henricum quendam in ANNALIBVS HILDESHEIMENSIBVS ¹⁷ inuenio. Inuenio etiam ipsum Henricum a CHRONOGRAPHO SAXONE ¹⁸ filium Bertholdi comitis appellari, et ab Henrico Bauaro, cui aliquamdiu contra Ottone II adhaesit, distingui. Atque si recte intelligo DITMARVM ¹⁹ et ANNALISTAM SAXONEM, ²⁰ fuit is ipse, qui anno DCCCCLXXXIII exilio solutus, ducatum Bauariae impetravit, quiue defuncto Ottone II, cum Henricus Bauarus ad regnum adspirauit, Baioariis et Carentanis praefuisse, a DITMARO ²¹ narratur. Denique et illud apparet, illum iam tum, cum Henrico Bauaro contra Ottone adfisteret, fuisse ducem, quoniam HERMANNVS CONTRACTVS ²² Henricum Bauarum, et alium ducem, quem antea Henricum nominat, praeter hos autem, Henricum, Augustanum episcopum, et, quem ANNALISTA HILDESHEIMENSIS ²³ addit, Ekbertum comitem, captos fuisse, refert. Nec est, cur quisquam putet, Henricum hunc, Bauariae et Carinthiae ducem, fuisse illum ipsum, qui ob perduellionis crimen Bauariam anno DCCCC LXXVIII amisisse, dictus fuit. Vtrumque enim veteres distinguunt cum cura, ac diuersissima de iis tradunt. Certe ipsum Henricum, Henrici rixosi filium, anno DCCCC LXXXIII. nondum restitutum, post mortem demum Ottonis locum, exilio destinatum, non expe&tata Ottonis III venia, reliquisse, ex verbis DITMARI ²⁴ et ANNALISTAE HILDESHEIMENSIS ²⁵ apparet. Henricum minorem contra, qui antea cum Henrico Bauaro in exilium missus fuerat, reuocatum, et ducatu donatum fuisse, affirmant. ANNALISTA SAXO ²⁶ etiam hoc addit, Henricum iuniorum, Henrico Bauaro in exilio morante, in gratiam receptum, Bauariaeque ducem creatum fuisse. Patet exinde, diuersos fuisse Henricos, ha&ctenus, commemoratos. Sed non aequ

aeque expeditum est, de quo maxime quaeritur, quo patre natus Henricus iunior fuerit. Bertholdum appellat ANNALISTA SAXO,²⁷ sed Bertholdigenus reticet omnino. Iusto igitur audaciores in fingendo videntur, qui ducem Bauariae, Arnulphi fratrem, fuisse, dictitant, nisi testimonia magis luculenta ad manus habuerunt. Illud ex DITMARO²⁸ et ANNALISTA HILDESHEIMENSI²⁹ longe certius est, Henricum Bauariae ducatum anno DCCCC LXXXIII recuperasse, posteaquam cupiditate regni, quod, Ottone II in Italia mortuo, appetuerat, deposita, fidem Ottoni III astrinxisset. Ex quo quidem tempore vtrum Henricus minor solam Carinthiam rexerit, an vero haud ita multo post diem supremum obierit, ego affirmare non ausim. Qui paullo audacior esset in coniecturis afferendis, diceret forte, superstitem fuisse, et ab Henrico sancto, ad imperium admoto, ducatum Bauariae repetuisse. Namque Henricum quendam ducatum Bauariae postulasse, et ANNALISTA HILDESHEIMENSIS³⁰ et DITMARVS MERSEBVRGENSIS³¹ annotant, atque etiam Bertholdi comitis filium appellant. DITMARVS³² vero et hoc docet, Bertholdum, patrem Henrici, quem dixi, Ottonis III partibus addicatum fuisse. Quod si ita se habet, Bertholdus hic, sub Ottone II et III superstes, diuersus fuit a Bertholdo, Bauariae duce, utpote quem anno DCCCCXLV diem supremum obiisse, CHRONOGRAPHVS SAXO³³ testatur. Sed dic, Henricum iuniorem distinguendum esse ab hoc Henrico, quod et mihi probabile ad fidem videtur. Negotium nihil facilius conficietur, ac incertum manebit, vtrum Henricus, supra commemoratus, qui anno DCCCCCLXXXIII Carentanis praefuit, Bertholdum Bauarum quadam attigerit cognatione. Igitur de eo non statuam. Sed noua oriuntur difficultas, quando quaeritur, quis demum Henrico minori, multoties dicto, in Carinthiae ducatu sit surro-

gatus? SCHOENLEBENIVS,³⁴ qui annales Boicos recentiores secutus, Henricum Carinthium, Bertholdi Bauari filium fuisse, et ab anno DCCCLXXXIII Bauariam gubernasse, autumat, Henrico Bauariae duci, in caefaris gratiam recepto, Bauariam sponte cessisse, sola Carinthia sibi reseruata, scribit. Eademque, anno DCCCLXXXIX mortuo, Henricum Bauarum in Carinthia quoque successisse refert.³⁵ Ac huius rei probanda causa ad Ottonis III diploma³⁶ prouocat, anno DCCCCXCII scriptum, in quo Henricus Bauariae et Carinthiae dux commemoratur. Quod quidem diploma, quo plus momenti habet ad SCHOENLEBENII sententiam confirmandam, tanto difficilius erit, conciliare huic asserto eiusdem Ottonis III chartam, quam MEGISERVS,³⁷ affert, in qua Otto dux Carentanorum, nominatur. Vnicum ex his spinis elabendi remedium superstet, si diploma MEGISERI, cuius aetatem non annotavit, post annum demum DCCCCXCII datum fuit. Tunc enim colligi haud inepte potest, tenuisse Henricum Bauarum Carinthiam, hocque anno DCCCCXCV mortuo,³⁸ illam Ottoni, quem modo diximus, ab Ottoni III, imperatore, concessam fuisse. Hoc saltet usum est LAZIO.³⁹ Et SCHOENLEBENIVS⁴⁰ etiam Henricum S. post mortem patris, accepto ducatu Bauariae, Carinthiam Conrado cessisse, tradit. Sed nos, intra coniecturae terminos subsistendum esse, putamus.

1 EGINHARDVS in vita Caroli M. c. 6, apud Reuberum scriptor rer. Germ. p. 13.

2 ANNALES REGVM FRANCORVM ad an. 776. apud eundem p. 42.

3 ANNALES iidem ad annum 796. l.c. p. 52.

4 EGINHARDVS l.c. c. 13. p. 16.

5 SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad annum 797, apud Pistorium script. rer. Germ. T.I. p. 784.

- 6 ANNALES REGVM FRANCORVM ad annum 818. et 819. l.c.
p. 67. et 68.
- 7 ANNALES iidem ad annum 828. p. 77.
- 8 ANNALES FULDENSES ad an. 861. apud *Freherum* scriptor.
rer. Germ. T. I. p. 34.
- 9 HIERONYMVS MEGISERVVS in annalibus Carinthiae L. VI. c. 63.
p. 598. et L. VI. c. 79. p. 623.
- 10 LVTPRANDVS TICINENSIS histor. L. IV. c. 14. apud *Reube-*
rum p. 181.
- 11 ANNALISTA SAXO ad an. 907. apud *Eccard.* script. rerum
German. T. I. col. 238. et ad an. 937. col. 262.
- 12 SCHOENLEBENIVS Carniolae antiquae et nouae P. III. p. 495,
ab initio.
- 13 MEGISERVVS annal. Carinth. L. VI. c. 87. p. 641.
- 14 WOLFGANG. LAZIVS de migrationibus gentium L. VI.
p. 205.
- 15 MEGISERVVS. L. VI. c. 93. p. 663.
- 16 SCHOENLEBEN. l.c. p. 510.
- 17 ANNALES HILDESHEIMENSES ad annum 978 apud *Leibnit.*
script. Brunswic. T. I. p. 719. ibi : Henricus quondam dux cum
Henrico minore, et Ekbertus comes, iussu imperatoris capti et
exilio deputati sunt. IDEM ad an. 977. Henricus cum consilio
minoris Henrici Patauiam ciuitatem inuasit.
- 18 CHRONOGRAPHVS SAXO ad annum 978 apud *Leibnitium*
in accessionibus historicis T. I. p. 189. Henricus dux cum Hen-
rico iuniore, filio Bertholdi, apud imperatorem accusati, eius
iussu Magdeburgi capti sunt una cum Ekberto comite, ac exilio
deputati.
- 19 DITMARVS MERSEBURGENSIS L. III. chronicus apud *Leib-*
nitium T. I. script. Brunswic. p. 347. scribens : anno D CCCC
LXXXIII imperator Veronae placitum habuit, et Henricus minor,
exilio solitus, dux Bauariae effectus est.
- 20 ANNALISTA SAXO ad ann. 983. col. 336. ibi : anno domini-
cae incarnationis DCCCLXXXIII imperator Veronae placitum
habuit, et Henricus iunior, filius Bertholdi, exilio solitus, dux
Bauariae constitutus est, Henrico, patruele imperatoris, adhuc in
custodia manente.

- 21 DITMARVS L.IV. p. 348.
- 22 HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 978. apud *Pistorium* T.I. p. 266. Henricus dux Bauariae, et alius dux, (quem antea Henricum appellauit,) Augustensis quoque episcopus, Henricus, rebellantes imperatori capti et exilio mancipati sunt.
- 23 ANNALISTA HILDESHEIMENSIS ad annum 978. apud *Leibnit.* p. 719.
- 24 DITMARVS MERSEBURGENSIS ad an. 984. L.IV. statim ab initio.
- 25 ANNALISTA HILDESHEIMENSIS ad annum 983. col. 984. apud *Leibnitium* T.I. p. 719.
- 26 ANNALISTA SAXO l.c. vid. not. 20.
- 27 Idem l.c. vid. not. 20.
- 28 DITMARVS L.IV. p. 349. oritur autem inter hunc, (Henricum Bauarum) et praefatum Henricum, qui minor dicebatur, magna seditio, qua Hermanni comitis consilio postmodum finita, regis gratiam in Francoforti et ducatum deditius promeruit.
- 29 ANNALISTA HILDESHEIMENSIS ad annum 984. p. 719. ibi: et Henricum ducem Bauariae denuo effecerunt.
- 30 IDEM ad annum 1003. p. 722. Henricus, Bertholdi comitis filius, et Bruno, frater regis, a rege infideliter maiestatis rei deficiunt.
- 31 DITMARVS L.V. p. 368. Et ecce Henricus comes, Bertoldi amitaèque meae filius -- per optimos exercitus eiusdem uiros diu firmiterque promissum Bauarici regni ducatum dari postulauit.
- 32 IDEM l.c. p. 372. Namque patri regis Henrici S. genitor istius Henrici, comitis, non vt miles, sed vt inimicus saepe restitit, imperatorisque partem, vi ipse testatus est, ob confirmatam sacramentis gratiam adiunxit.
- 33 CHRONOGRAPHVS SAXO ad annum 1045. apud *Leibnitium* access. T.I. p. 159. Bertholdus, dux Bauariae, obit, cui Henricus, frater regis, in ducatu succedit.
- 34 SCHOENLEBENIVS Carniolae antiquae et nouae P. III. ad an. 984. seq. p. 526.
- 35 IDEM l.c. p. 527.
- 36 Extat hoc diploma in AVNDII metropoli Salisburgensi. T.I. p. 93. Nouerit omnium fidelium nostrorum -- industria, quem-

- quemadmodum nos ob petitionem et interuentum dilecti ac fidelis nostri *Henrici, Baioariorum et Carentanorum ducis* Saxonii cuidam de proprietate nostra dedimus tres mansos, etc.
- 37 MEGISERVUS annal. Carinthiae L. VII. c. i. p. 680. Quapropter omnium fidelium nostrorum animaduertat industria, qualiter nobis interuentu et admonitione Ottonis, Charentinorum ducis, quoddam nostrae proprietatis spatium -- ad ecclesiam S. Lamberti martyris -- placuerit tradere.
- 38 NECROLOGIVM FULDENSE apud Schannat. in codice probation. historiae Fuldensi adiecto p. 476. DCCCCXCV Henrich dux. Ad eundem annum mortem Henrici Bauari refert HERMANNVS CONTRACTVS p. 269.
- 39 VVOLFFG. LAZIVS de migrat. gentium L. VI. p. 205. Isto (Henrico) mortuo Henricus, cognomento claudus, filius, ad preces Ottonis III cessit ducatu Carnorum, seruato sibi solo Boiorum dominio, et duobus in Carnis comitatibus Villachi et VVolfesbergi, quos idem dux, electus in imperatorem, episcopio Bambergensi a se fundato donauit, quos in hodiernum usque diem ea cathedra possidet.
- 40 SCHÖENLEBENIVS, l. c. p. 552.

III.

De ipso autem Ottone, Carinthiae duce, non est, cur dubitemus. Tam enim manifesta adsunt aequalium scriptorum testimonia, utne facile in dubium vocari possint. Non animaduertit tamen ea SCHÖENLEBENIVS,¹ ideoque Ottonem hoc tempore rexisse Carinthiam, confidenter negavit, ac in eius locum ipsius Ottonis filium, Conradum, substituit. Hinc opus esse duco, ut, postquam ad ea perueni tempora, quibus certiora afferri de ducibus Carinthiae possunt, locum inter eos, quem obtinuit, Ottoni vindicem. Non prouocabo iam ad diploma a LAZIO² et MEGISERO³ adductum, quod tamen et ipse SCHÖENLEBENIVS⁴ Ottoni III tribuit, licet, nec diem, nec annum, habeat

adscriptum. Testem autem appello ANONYMVM LEO-
BIENSEM⁶, affirmantem, Ottonis, Carinthiae ducis, inter-
uentu Ariboni cuidam praedia ab Ottone III, imperatore,
data fuisse. Ac ne quis mihi LEOBIENSIS scriptoris ae-
tatem obiiciat, adduco ADELBOLDVM,⁷ historicum
Henrico II, imperatori, aequalem, in cuius quippe vita de
expeditione Ottonis nostri Italica, contra Ardoenum, Epo-
rediae marchionem, suscepta, luculentissimum testimonium
praebet. Huic addo DITMARVM MERSEBURGEN-
SEM⁸ et ANNALISTAM SAXONEM,⁹ qui et ipsi Ottone
noscitur nostrum Carinthiae ducem nominant, quando prae-
lium, quod Otto cum Ardoino infelici euentu commis-
erat, enarrant. Non est, cur quisquam dicat, hoc SCHOEN-
LEBENIO contra ius fasque a me vitio verti, qui scrip-
torum, a me allegatorum, copiam non habuit. At vedit tamen
DITMARVM, et illum alibi allegauit. Ideoque uel ab hoc
de Ottone nostro edoceri potuisset. Interim ego haec
amplius non vrgeo, cum non infrequens sit, ut in tam la-
to campo circumspiciendo perspicacissimus etiam aliquid
humani patiatur. Mortuo igitur tanto facilius ignoscen-
dum esse, puto, ne manibus viri docti et industrii mali ex-
empli conamine videar insultare. De eo autem quaeren-
dum adhuc videtur, ex qua tandem gente ortum traxerit
Otto noster, propterea, quod falsissima de eo afferunt re-
centiores Carinthiarum rerum commentatores. LAZIUS¹⁰
enim fratrem fuisse, dicit, Hermanni, Sueorum ducis.
Quod ut probet, in partes suas ac sententiam CONRADVM
VRSPERGENSEM¹¹ trahere conatur. At hic, quanquam
Hermannum eiusque fratrem Vdonem adducit, de ducatu
tamen Carinthiae nihil omnino affert. Nec mirum, cum
Otto ille, Hermanni frater, diuersissimus a nostro fuerit,
ac, teste CONTINVATORE REGINONIS,¹² iam anno
DCCCXLIX diem obierit supremum. Nihilo tamen mi-
nus

nus eandem sententiam defendunt MEGISERVUS,¹² et, qui hunc tuto sequitur, REICHARTVS.¹³ Ac ille quidem adeo pertinax est suae opinionis defensor, ut commentarios Carinthiae falsi arguat, qui Conradi filium Ottонem fuisse defendant. Reete tamen se habere, quae in commentariis, modo allegatis, referuntur, locupletissimorum testium auctoritate confirmari potest. DITMARVS enim MERSEBURGENSIS¹⁴ et ANNALISTA SAXO¹⁵ patrem illi tribuunt Conradum, Lotharingiae ducem, ab Hungaris anno DCCCCLV occisum. Idem matrem quoque nominant, nimirum Luitgardam, Ottonis M. imperatoris filiam, id quod v. c. IO. DAV. KOELERV¹⁶ latius demonstrauit. Quam diu autem Otto superstes fuerit, ex tot medii aeui scriptoribus, qui res eorum temporum consignarunt, nemo, quem ego sciam, annotauit.

1 SCHOENLEBEN. in Carniola antiqua et noua P. III. p. 527.

2 VVOLFFG. LAZIVS de migrat. gent. L. VI. p. 205. seq.

3 HIER. MEGISERVUS annal. Carinth. L. VII. c. 2. p. 680. vid. §. III. not. 36.

4 SCHOENLEBEN I. c. p. 699.

5 ANONYMVS LEONBIENSIS chron. L. I. ad an. 987. apud Pezium script. Austr. T. I. p. 760.

6 ADELBOLDVS in vita Henrici S. c. 16. apud Leibnitium script. Brunsie. T. I. p. 434. ibi: Tandem a rege dux Carentanorum, qui etiam Veronensem comitatum tenebat, ad petitionem Longobardorum explendam eligitur, et cum paucis in Italiam dirigitur.

7 DITMARVS MERSEBURGENSIS chron. L. V. apud Leibnitium T. I. p. 370. Horum autem necessitatibus ad succurrendum Otto Carentanorum dux et Veronensem comes -- a rege dirigitur.

8 ANNALISTA SAXO ad annum 1002. apud Eccardum script. rer. Germ. T. I. col. 388.

9 LAZIVS de migrat. gent. L. VI. p. 205.

10 CONRADVS. VRSPERGENSIS ad annum 937. p. 156.

- II CONTINVATOR REGINONIS ad an. 949. apud *Pistorium*
T.I. p. 105. Vdo comes obiit.
- 12 MEGISERVS annal. Carinthiae L. VII. c. I. p. 675.
- 13 ALBERTVS REICHARTVS in breuiario historiae Carinthiae
ad an. 989. p. 309.
- 14 DITMARVS MERSEBURGENSIS chron. L. V. apud *Leibnitium*
T.I. p. 370. hic igitur, (Otto dux Carentanorum) a Conrado
duce, et Lutgarda, filia Ottonis I, caesaris maximi, procreatus,
morum grauitate actuumque probitate parentelam suam deco-
rabat.
- 15 ANNALISTA SAXO ad annum 1002. apud *Eccardum* T. I.
p. 388.
- 16 IO. DAV. KOELERV de familia Augusta Franconica.

V.

Minus dubitationis habet, quod ad successorem Otto-
nis attinet. Namque ex quatuor filiis, Henrico, Brunone,
Conrado, et Guilielmo, tertius obtinuit ducatum Carinthiae,
quod KOELERV¹ ad liquidum perduxit. Tanto igi-
tur minus opus erit, ut in LAZIO² ac MEGISERO³ con-
futandis multum operae consumam, qui Henricum, filium
Ottonis, patri in Carinthiae ducatu successisse, Conradum
autem, fratrem Henrici, illum fuisse fingunt, qui post fata
Henrici S. rerum in Germania potitus, vulgo Salici nomi-
ne appellatus, fuit. Etenim ex scriptoribus aeque ac diplo-
matibus, a KOELERO⁴ adductis, appareat, Conradum, im-
peratorem, fuisse filium Henrici, hunc autem fratrem Con-
radi nostri, quem Ottoni patri in ducatu Carentano suffe-
ctum fuisse, haec tenus dixi. Hasque KOELERI probatio-
nes egregie confirmauit ipse Conradus, imperator, quan-
do pro remedio animae suae, et Giselae coniugis, et Hen-
rici filii, et Beatricis filiae, et atavii Conradi, et auiae Iudi-
thae, Henrici patris, et patrui ducis Conradi, eiusque con-
iugis Mechtildis, sororis denique Iuditiae, ecclesiae

Worma-

Wormatiensi praedia quaedam donauit.⁵ Utut vero ex inde familia Carinthiae ducis, Conradi, tam egregie illustratur, nihil ut desiderari amplius possit, subsistendum tamen adhuc est in origine Mechtildis, coniugis Conradi Carinthii, consideranda. Plerique enim, iisque accuratissimi, genealogiarum veterum indagatores illam Hermanni, ducis Sueviae, filiam, Giselae, augustae, sororem, fuisse autumant, et, mea quidem sententia, haud sine ratione. Nihilo tamen minus ab iis discessionem facit **SIMON. FRID. HAHNIVS**⁶ et Mathildi nostrae patrem tribuit Godofredum, comitem Verdunensem, quem et ipsum filiam Conradi, Burgundiae regis, Mathildem, in matrimonio habuisse, argumentis minime contemnendis probat. Vtrum autem ex hac Mathilde Burgunda filiam eiusdem nominis haberit Godofredus, ego non dixerim. Id enim, quod **B. HAHNIVS** atrulit, sola nititur conjectura. Omnium autem minime ab eo demonstratum fuit, illam, de qua incertum est, an unquam extiterit, Mathildem Conrado nostro iunctam matrimonio fuisse. Illud contra extra omnem dubitationem versatur, quippe ab **HERMANNO CONTRACTO**⁷ relatum, Hermannum, ducem Sueorum, filium eiusdem nominis, et, praeter hunc, tres filias habuisse. In his autem Mathildem, Conradi, Carinthiae ducis, uxorem fuisse, AVCTOR VITAE ADALBERONIS METENSIS⁸ clarissimis verbis testatur. Paternam denique originem ipsa Mathildis prodit in versu, epistolae ad Miseconem, Poloniae regem, adiecto, in quo se filiam Hermanni, clari Sueorum ducis, appellat.⁹ Quod ut sufficere posse ad nomen et gentem Mathildis, Conradi nostri coniugis, probandum, addam tamen **DITMARI MERSEBURGENSIS**¹⁰ et **ADELBOLDI**¹¹ auctoritatem, qui Hermannum Sueum, ab Henrici S. partibus alienum, vna cum Conrado genero, Argentinam depraedatum esse, tradunt.

Patet exinde, quod hic silentio praetereundum non est, Conradum nostrum in Henricum S. non satis bene animatum, ac, forte affinitatis vinculo ducum, Hermanno, ad regnum adspiranti, adhaesisse. Ceterum, quod ad mortem eius attinet, ex HERMANNO CONTRACTO¹ aliisque scriptoribus, ab amplissimo KOELERO allegatis, certum est, in annum CIOXII illam incidisse, ac fabulis proinde induluisse LAZIVM,² aliosque, qui, Ottonem, supra dictum, hoc anno interiisse, scribunt, illique Henricum, filium, anno CIOXXI defunctum, successisse, comminiscuntur.

1 KOELERV de familia Augusta Franconica tab. II. et p. 18. seqq.

2 LAZIVS L. VI. p. 306.

3 MEGISERV L. VII. c. 8. p. 689.

4 KOELER l. c.

5 Extat hoc diploma in codice probationum, 10. FRID. SCHANNATI historiae Wormatiensi adiecto, n. 56. p. 52. Omnia sanctae Dei ecclesiae -- sciat vniuersitas, qualiter nos pro amore Dei et sempiterna memoria nostri et dilectae nostrae coniugis, Giselae imperatricis, ac filii nostri Henrici regis, filiae quoque nostrae Beatrixis, imo etiam pro remedio parentum nostrorum defunctorum, atavi nostri ducis Chunradi, auiae nostrae, scilicet Iudithae, patris nostris Henrici, ac patrui ducis Chunradi, eiusque coniugis dignae memoriae Mathildis sororis etiam nostrae Iudithae -- donauimus etc.

6 SIMON. FRID. HAHNIVS in der teutschen Reichs - Historie T. II. §. 2. not. b. p. 227.

7 HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 997. apud Pistorium T. I. p. 269. seq. Cunradus, dux Alemannorum, obiit, et pro eo Herimannus ducatum accepit, qui et ipse filiam Cunradi regis Burgundiae, Gerbircgam, in matrimonio habuit, ex qua filium aequiuocum et tres filias reliquit.

8 AVCTOR VITAE ADALBERONIS II. Metensis episcopi in Labbe bibliotheca MSCtorum T. I. sect. V. p. 674. Dominus Otto dux, pater ipsius uenerabilis Conradi ducis, nobis considentis

dentis natus ex filia magai Ottonis est. Cuius soror Gerbirga dedit filiam suam Conrado, Burgundiorum regi. Ex Conradi autem filia nata est domina Mathildis, huius Conradi adsidentis vxor.

9 EPISTOLA MATHILDIS ad Misconem aequa ac versus extat in codice quodam membranaceo, quem benevolentiae Generosissimi Domini de WOLFFERSDORFF acceptum fero.
Hunc librum regi Mahtild donat Misconi,
Quam genuit clarus Sueorum dux Herimannus.

10 DITMARVS MERSEBURGENSIS L. V. p. 367. Dux (Herimannus) - Argentinam, quae Strasburg dicitur - cum Conrado suimet genero, milite petit armato, murosque adscendens nil viatis reliquit.

11 ADELBOLDVS in vita Henrici S. imperatoris c. 8. apud Leibnitium T. I. p. 432.

12 HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 1012. apud Pistorium T. I. p. 272. Conradus, dux Carentani, filius Ottonis ducis, fraterque Brunonis, dudum papae, obiit, et, priuato filio eius puer, Conrado, Adalbero ducatum accepit.

13 LAZIVS L. VI, p. 206.

VI.

Reliquit ex coniuge sua Conradum, filium, in ducatu Carentano post xxiv annorum interstitia successorem, ac, praeter eum, Brunonem, episcopum Wurzburgensem, de quo mox dicendi locus erit. De Conrado fidem faciunt testimonia WIPONIS¹ et HERMANNI CONTRACTI,² ab amplissimo KOELERO³ adducta. Ac HERMANNVS quidem tradit, posthabito Conrado nostro, Carinthiae ducatum Adalberoni ab Henrico II, imperatore, datum fuisse. Quod qua de causa factum sit, ego sine dubitatione affirmare nequeo. At ex HERMANNI tamen CONTRACTI verbis colligo, pueritiam Conradi in caussa fuisse, quo minus limitaneae provinciae praeferceretur. Interim perquam aegre tulisse nostrum aucti ducatus iactu-

ram, armis etiam petuisse Adalberonem, sibi praelatum, ac auxilio Conradi Salici patruelis superiorem ex praelio, prope Vlmam commisso, discessisse, HERMANNVS CONTRACTVS ⁴ consignauit. Verum ne sic quidem, viuo Henrico S. ducatum recuperauit. Adalbero enim, WIPPONE ⁵ teste, ad mortem usque caesaris, modo dicti, Carinthiam obtinuit, et inter reliquos duces electioni Conradi Salici interfuit, et, hoc regnante, usque ad annum 1545 ducatum administravit. Quo quidem currente, cum Adalbero gradu depositus fuisse, ⁶ anno 1546 Conradus noster successit, ⁷ ac subsequente Heribertum, Mediolanensem archiepiscopum, a Conrado, imperatore, custodiendum accepit, quod in CHRONICO AVSTRIACO ⁸ narratur. Sed ne diu praeesse prouinciae potuerit, morbus regius prohibuit, quo defatigatus XIII. Kal. Aug. anni 1549 extintus fuit. ⁹ Quam conjugem habuerit, et utrum omnino in matrimonio vixerit, mihi non constat. Si tamen recte se haberet KOELERI ¹⁰ opinio, qua Brunonem, Wurzburgensem episcopum, Conrado hoc patre natum fuisse, autumat, Mathildis illi tribuenda vxor foret. Nam Bruno Conradum patrem, matrem Mathildem, habuit, HERMANNO CONTRACTO ¹¹ testante. Enimvero quoniam patruelis Conradi Salici Bruno appellatur, magis mihi placet, Brunonem fuisse fratrem Conradi nostri, ex eadem matre, Mathilde Sueua, a Conrado, anno 1512 defuncto, genitum. Namque et ipsum Conradum nostrum Carinthiae ducem, patruelem imperatoris Conradi Salici, HERMANNVS ¹² nominat. Sed hunc filium fuisse Conradi et Mathildis Sueuicae, ipse KOELERV demonstravit. Mortuus autem est Bruno in Pannonia 1545, VII. Kal. Iun. cum ex lapsu letale vulnus accepisset, inde que cadauer eius, in Germaniam deportatum, Wurzburgi terrae mandatum fuit. ¹³ Alios Conrado nostro filios ad-

adscribunt LAZIVS¹⁴ et MEGISERVS,¹⁵ Conradum nempe, in ducatu Carinthiae successorem, Vdalricum marchionem, et Henricum Lothariorum comitem palatinum. Cuius quidem asserti cum nullam omnino probationem addant, ego tuto illis fidem adhiberi nolim. Evidem apud LAMBERTVM SCHAFFNEBURGENSEM¹⁶ Vdalricus occurrit. Occurrunt etiam Conradus, dux Carinthiae, et Henricus, comes Lotharingiae palatinus, fratres,¹⁷ Sed hos Vdalricum cognatione attigisse, nullibi inueni. Nec de Conrado ac Henrico vel minimum indicium est, patrem illos Conradum Carentanum habuisse. Igitur operaे pretium esse duco, ut de his paullo accuratius postea agatur.

1 WIPPO in vita Conradi Salici apud *Pistorium* T. III. p. 463.

2 HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 1012. apud *eundem* T. I. p. 272. vid. not. 12. §. antecedentis.

3 KOELER de familia Augusta Franconica p. 37. seq. n. 19.

4 HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 1019. apud *Pistorium* l. c. p. 273. Cuonradus filius Cuonradi, quondam ducis Carentani, auxiliante patruèle suo, Conrado, postea imperatore, Adalberonem, tunc ducem Carentani, apud Vlmam pugna victum, fugavit.

5 WIPPO l. c. p. 462.

6 HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 1035. l. c. p. 278. Adalbero, dux Carentani et Histriae, amissa imperatoris gratia, ducatu quoque priuatus est.

7 IDEM ad ann. 1036. p. 279. Conradus, patruelis imperatoris, patris sui ducatum in Carentano et in Histria, quem Adalbero habuerat, ab imperatore suscepit.

8 CHRONICON AVSTRIACVM ad an. 1037. apud *Hier. Pezium* script. Austr. T. I. col. 552.

9 ANNALISTA HILDESHEIMENSIS ad an. 1039. apud *Leibnitium* T. I. p. 730. Chuonradus, Carentanorum dux, patruelis imperatoris, XIII. Kal. Aug. immatura morte regio morbo diu fatigatus, discessit.

- 10 KOELERV^s l.c. tab. II. n. 19. et p. 39. n. 19.
- 11 HERMANNVS CONTRACTVS an an. 1034. apud *Pistorium* T. I. p. 278. Meginhardo, praesule Wurzburgensi, defuncto, Bruno patruelis imperatoris, filius - - ex Mathilde Conradi, ducis, episcopatum die paschae accepit.
- 12 IDEM ad an. 1036. p. 279. vid. not. 7.
- 13 IDEM ad an. 1045. l. c. p. 286. Bruno Wurzburgensis episcopus letaliter cum aliis collapsus, post vnam hebdomadam, id est VII. Kal. Iun. obiit, et ad sedem suam reportatus, ibique sepultus, Adalberonem successorem suscepit.
- 14 LAZIVS de migrat. gent. L. VI. p. 206.
- 15 MEGISERVS annal. Carinth. L. VII. c. ii. p. 698. in fin. seq.
- 16 LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad annum 1062. apud *Pistorium* T. I. p. 326. vid. not. 1. §. 2.
- 17 IDEM ad an. 1057. l. c. p. 323. Cuono, cognatus regis, dux factus est Carentinorum. Frater eius, Henricus, palatinus comes Luthiariorum, instinctu daemonis monasticam vitam professus est in Gorzia.

VII.

Post Conradum, anno CXXXXIX defunctum, non inuenio, qui Carinthiae dux datus sit, praeter Welssonem, cui teste HERMANNO CONTRACTO anno CXLVII ab Henrico III, imperatore, demandata prouincia fuit. Vtrum igitur interea aliis has terras gubernarit, an ad annum usque CXLVII duce destitutae fuerint, ego quidem iuxta cum ignarissimis scio. Apud veteres saltem per hos septem aut octo annos ducem non animaduerto. Et tamen MEGISERVS, ultra quam ab historiarum scriptore fieri debebat, facilime ex hac difficultate se expedit, quando Conradum, Conradi anno CXXXXIX mortui, filium a nemine veterum nominatum, ab anno CXXXXIX ad CXLVIII, Welssonem autem inde ad annum CXLV Carinthiae praefuisse scribit, ordine temporum mirifice tur-

turbato, neglecta etiam omnium antiquorum auctoritate. Hi enim Welfonem primo loco, dein Conradum, et, post hunc, Bertholdum collocant. **MEGISERVVS** contra, his omnibus conuersis, Conradum paeponit, eique Welphonem subiungit. Ac ne quid in continua ducum serie desiderari possit, Bertholdum statim a morte Welfonis successisse, admodum audacter fingit. Denique semel fines veritatis transgressus, nihil obesse putat, quo minus et in aliam familiam transeat, et Conradum, Bauariae ducem, Ludolfi, palatini Rhenani, filium, cum Conrado, Carinthiae duce, commisceat. De quo tamen ab **AVENTINO**, ³ quem alias tam strenue sequitur, meliora fuerat edocet. Sed danda est aetati, qua scripsit, venia, quae diuersissima potius confundere, quam ignorantiam, in rebus historicis aliquando non pudendam, profiteri, maluit. Mihi vero religioni est, tacentibus historicis antiquis, audacter statuere, de rebus, quae nobis non, nisi ex documentis superioris aeui, notae esse possunt. Fuerit igitur ab anno **CIO XXXIX** alias dux Carinthiae. Fuerit etiam nullus, quod in Bauaria quoque, pulso in exilium Conrado, mortuoque, qui huic suffectus fuerat, Conrado, Henrici III, filio natu maiore, ab anno **CIO LVI** accidisse nouimus, ⁴ cum Agnes, augusta, prouinciam sibi habuit, et redditus in suos usus conuertit. Illud vero, **HERMANNO CONTRACTO**, ⁵ teste, confirmare possum, Welfonem Carinthiam sortitum esse anno **CIO XLVII**, ac illam aequem ac marchiam Veronensem cum laude administrasse, tantum denique auctoritate potuisse, ut Henricum III, imperatorem, qui Veronensibus mille marcarum non satis iusto titulo extorserat, ad pecuniam restituendam adegerit. ⁶ Ceterum caesari fidus fuit, et, quoties aequa postulauit, se obsequentem praebuit, ac in primis in expeditione contra Hungaros id, quod sibi negotii datum fuit, felicitate

citer et bene gessit. ⁷ Adfuit etiam imperatori in Italia, sed concessionum, quas tunc fecit caesar, pertaesus, cum indignatione in Germaniam rediit, ⁸ et haud ita multo post vitam cum morte commutauit. Quo minus tamen de anno mortis certi quicquam affirmem, obstat dissensus veterum, ex quibus MARIANVS SCOTVS ⁹ ac ANNALISTA HILDESHEIMENSIS ¹⁰ annum CICLIV nominant. HERMANNVS autem CONTRACTVS, ¹¹ BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS, ¹² ANNALISTA SAXO, ¹³ et CONRADVS VRSPERGENSIS ¹⁴ finem vitae in annum CICLV referunt. In qua incertitudine, dum res ad liquidum perduci possit, est subsistendum. Filios non habuit, quod CHRONOGRAPHVS WEINGARTENSIS ¹⁵ testatur. Ideoque in promtu est, inde potius, quam ex crimine perduellionis, a MEGISERO, et recentioribus aliis, illi afficto, repetendam esse caussam, cur ducatus Carinthiae post mortem Welfonis Conrado, fratri Henrici, comitis Lotharingiae palatini, obuenerit.

¹ HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 1047. apud *Pistorium* T.I. p. 279. inquiens: quo tempore Welfum, comitem Suevigenam, Welfi, dudum comitis, filium, Carentani ducem promouit.

² MEGISERVVS L. VII. c. 16. p. 704. it. c. 20. p. 712. et c. 23. p. 721.

³ IO. AVENTINVS annal. Boior. L.V. c. 10. n. 1. p. 537.

⁴ ANNALISTA SAXO ad an. 1057. apud *Eccardum* T.I. p. 489. et LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad annum 1056. apud *Pistorium* T.I. p. 323. et ad an. 1061. p. 326.

⁵ HERMANNVS CONTRACTVS l. c. not. I.

⁶ CHRONICON WEINGARTENSE c. 7. apud *Leibnitium* T.I. p. 784.

⁷ HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 1051. p. 293.

⁸ CHRONICON WEINGARTENSE c. 6. l.c. p. 784.

- 9 MARIANVS SCOTVS ad annum 1054. apud *Pistorium* T. I.
p. 650.
- 10 ANNALES HILDESHEIMENSES ad annum 1054. apud *Leibnitium* T. I. p. 731.
- 11 HERMANNVS CONTRACTVS ad ann. 1055. p. 298.
- 12 BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ad an. 1055. apud *Vrftisum* T. I. p. 342.
- 13 ANNALISTA SAXO ad annum 1055. apud *Eccardum* T. I.
col. 486.
- 14 CONRADVS VRSPERGENSIS in chronico ad ann. 1055.
p. 167.
- 15 CHRONOGRAPHVS WEINGARTENSIS in historia de Guelfis
c. 7. apud *Leibnitium* T. I. p. 784.
- 16 MEGISERVVS L. VII. c. 20. p. 712. seq.

VIII.

De Welphone satis dictum est, qui Carinthiam, anno CICXLVII ab Henrico III, imperatore, acceptam, ad annum usque CICLIV aut LV gubernauit. Sequitur Conradus, anno demum CICLVII dux Carinthiae creatus. Cuius cum LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS * mentionem iniicit, Conradum, cognatum regis, Henrici III, Carinthiae procurationem nactum esse, ait, sed, qualis illa cognatio Conradi, ducis, et Henrici, imperatoris, fuerit, non explicat. Quo audaciores igitur superiorum temporum historici in recensendis familiis fuerunt, eo se facilius induc passi sunt, ut hoc solo satisque incerto testimonio fulti, Conradum hunc ad superiorum Carinthiae ducum gentem fetulerint, et plane filium Conradi, § vi commemorati, fecerint. Animaduerterunt enim nominum inter se convenientiam, quae etiam recentiorum non paucos, ac in his cel. ECCARDVM, aliquando decepit, ut diuersissimorum gentium homines coniunixerint. Nec Welfonis regimen, quod inter utrumque Conradum intercessit, tanti esse

D

esse, crediderunt, cur de propinquitate dubitarent. Nihil enim insoliti iis temporibus fuit, quibus honores nondum hereditario iure in posteros transferebantur, ut, filiis, praesertim paruulis, a successione, saltem ad tempus, exclusis, prouinciae interim aliis darentur, ac, his denuo mortuis, vel ad priorem gentem redirent, vel etiam aliis quibuscumque, pro arbitrio caesarum, concederentur. Ipsa denique cognatio, quae, teste LAMBERTO, Conradum inter et Henricum III, caesarem, fuit, non parum valuit, ut, vtrumque Conradum patrem filiumque fuisse, sibi persuaderent. Et certe, cum Henricum, Conradi Salici patrem, et Conradum, Carinthiae ducem, anno 115 XII defunctum, fratres fuisse, manifestum sit, ratio consanguinitatis inter Henricum III, Conradi Salici filium, et Conradum hunc nostrum, nihil difficultatis haberet, modo satis euidenter constaret, Conradum hunc eius Conradi, qui anno 115 XII obiit, nepotem, et Conradi, 115 XXXIX mortui, filium, fuisse. Sed ad hoc quidem demonstrandum minime mihi idonea vi-
dentur LAMBERTI SCHAFFNEBURGENSIS verba. Nec sufficere visa sunt v. c. CAROLO LUDOVICO TOLLNERO, ² qui inde in aliam sententiam transiit, et Conradum, de quo nunc agimus, ex familia Ezonis, comitis pa-
latini ad Rhenum, qui Mathildem, Ottonis III sororem, in matrimonio habuit, deduxit. Cum enim Ezoni praeter Hermannum et Ottonem etiam filius fuerit Ludolphus, ex hoc autem et Mathilde, Zutphaniae comitis filia, Conradum et Henricum natos esse, testetur MONACHVS BRO-
WILLERANVS, ³ satis se argumentorum habere putauit
TOLLNERVS, cur Conradum, Ludolfi filium, hunc ipsum
esse, diceret, qui ab Henrico III, caesare, ducatum Carin-
thiae accepit, fraterque Henrici, palatini Lotharingiae co-
mitis, a LAMBERTO SCHAFFNEBURGENSI appellatur.
Verum enim vero haec TOLLNERI opinio, maxima animi
con-

contentione ab eo defensa, tantum abest, ut probabilis videatur, ut etiam, ex ILL. MASCO VII & sententia, historia minime fauente, sit excogitata. Evidem hoc in dubium vocabit nemo, quod et BROWILLERANVS MONACHVS indicauit, Bauariae ducatum Conrado ab Henrico III, imperatore, commissum fuisse. At non minus ex HERMANNO CONTRACTO certum est, hoc accidisse anno CIQXLIX, cum Welffo Carinthiam tenuit, id quod ex iis, quae antea dixi, liquidum esse, puto. Igitur hoc saltem a TOLLNERO affirmari nequit, eodem anno, quo Bauariam nactus est Conradus, Ludolfi filius, etiam Carinthiam illi traditam esse. Numne vero postea, Welfsonem defuncto, Carinthiam acceperit, de eo est dispiciendum. Sed nec hoc accidisse, exinde appareat, quod Welffo Carinthiam ad annum usque CIOLIV aut plane LV, quippe quo obiisse a scriptoribus, supra nominatis, dicitur, administravit. Cum enim Conradus, dux Bauariae, teste HERMANNO CONTRACTO iam anno CIOLIII gratia caesaris et ducatu suo exciderit, non est credibile, principi, in imperatorem non bene animato, prouinciam, ob vicinitatem Hungarorum prae ceteris custodiendam, creditam fuisse. Obiectat aliquis, Welfsonem forte paucis ante mensibus decessisse, quam Conradus Bauarus indignationem caesaris incurreret, adeoque hunc saltem ad breue tempus Carinthiam regere potuisse. Sane cum apud scriptores, § superiore commemoratos, non consignatum reperiatur, quo die aut mense vel Welffo obierit, vel Conradus ducatu Bauariae priuatus sit, hac exceptione aliquis vti posset, ad TOLLNERI opinionem sustinendam, maxime, cum nec de eo inter veteres conueniat, anno ne CIOLIV Conradus Bauarus, an demum LV sit defunctus. Etenim MARIANVS SCOTVS & ANNALISTA HILDESHEIMENSIS Conradi obitum ad annum CIOLIV enarrant. E contrario

rio ANNALISTA SAXO⁹ et CHRONOGRAPHVS SAXO,¹⁰ anno CIOLV Conradum decessisse, produnt. Verum enim vero quantumuis haec speciem quandam probabilitatis habeant, tantum tamen apud me non valent, ut TOLLNER o magis adsentiam. Ipse met certe largior, ob varietatem scriptorum incertum esse, quo demum anno et Conradus et Welffo viuere desierit. In eo nihilominus consentiunt, eodem anno et Welffonem et Conradum vitam finisse. Nam qui diem Welfonis supremum in annum CIOLIV referunt, Conradum quoque tunc extinctum fuisse, scribunt. Contra, qui Welfonem ad annum CIOLV superfuisse malunt, etiam Conradi vitam eo producunt. Id praeterea magna confensione tradunt, toto ante mortem suam anno Conradum, Bauaria expulsum, exulem in Hungaria degisse. Cum vero et hoc exploratum sit, Welffonem vsque ad mortem suam Carinthiam obtinuisse, ego quidem non video, qui tandem asseuerari possit, Carinthiam, morte Welfonis vacuefactam, Conrado, si vel maxime superstiti, attramen perduelliohis reo, obuenisse. Praeuidit forte hoc ipsum TOLLNERVS, ideoque aliam viam iniit in opinione sua tuenda. Carinthiam enim Conrado non ab Henrici III imperatore, sed ab Andrea, Hungariae rege, datam fuisse, affirmauit, ¹¹ eo nomine LAMBERTVM SCHAFFNEBVRGENSEM antestatus, a quo tamen nullibi iuuatur. Magis opportune, mea saltem sententia, HERMANNVM CONTRACTVM ¹² appellasset, qui Carinthiae partem a Conrado exule, Hungarorum auxilio, occupatam esse, enarrat. Et tamen ne sic quidem eaussae suae satis consuluisset, cum ea, quae per vim, inuito imperatore, Germaniae substraxit, ad honorem et nomen ducis comparandum non sufficiant. Interim et hoc dabo, iure belli, et Hungaros, et Conradum, defendi, regemque Hungariae id, quod armis acquisuerat, rite in Conradum con-

conferre potuisse, et reuera contulisse. Namque etiam
 exinde elucer, Conradum, Carinthiae ducem, ab imperato-
 re constitutum, ab eo, qui partem prouinciae Hungaric
 acceptam tulit, distinguendum esse. Et, quid opus est ver-
 bis? cum SCHAFFNEBURGENSIS, quem ex sua parte
 stare TOLLNERVS singit, Conradum, Carinthiae ducem,
 anno demum C I O L V I I creatum esse memoret, quo tamen
 anno Conradum Bauarum in viuis fuisse, ipse TOLLNE-
 RVS ¹³ negat. Atque etiam, si recte iudico, ex ipsius
 BROWILLERANI MONACHI historia desumi argumen-
 tum potest, ad colligendum, Henricum, palatinum Rhena-
 num, ab Henrico, palatino Lotharingiae, diuersum esse.
 Neque enim obscure prodit, Henricum Rhenanum, Con-
 radi Bauari fratrem, anno C I O L X I, quo Henricus Lotha-
 riensis vxorem suam occidisse, a LAMBERTO SCHAFF-
 NEBURGENSI ¹⁴ scribitur, iam dudum defunctum fuisse.
 Id saltem apud BROWILLERENSEM ¹⁵ scriptorem con-
 signiatum legitur, Ludolphum tribus ante Ezonis, patris,
 obitum annis mortuum, in monasterio Browillerano sepul-
 tum esse, ideoque Ottonem, Ludolphi fratrem, Ezoni suc-
 cessisse, Ottoni denique, anno C I O X L V ad ducatum Sue-
 viae administrandum vocato, Henricum, patrui filium, suffe-
 ctum esse. ¹⁶ Vix igitur mihi vero videtur simile, exfor-
 tem Henricum, Ludolphi filium, mansurum fuisse, si su-
 perstest tunc fuisse. Quin potius ex monachib R O WILLE-
 RANI verbis, antea adductis, coniicio, GELENIVM ¹⁷ iniuria
 a T O L L N E R O reprehensum fuisse, quod, Henricum,
 Ludolphi filium, haud ita multo post patrem e vita exces-
 sisse, scripsit. Praeterea cum MONACHVS toties nominat-
 us, admodum luculenter doceat, in oppido Browillerensi
 humatum esse Henricum Rhenanum, ¹⁸ nouam suppeditat
 rationem, ob quam Henricum, Ludolphi filium, a Lo-
 tharingo distinguendum esse puto. Hunc enim in mo-
 dello

nasterio Epternacensi conditum esse, ipse TOLLNERVS, assentiente LAMBERTO,¹⁹ testatur. Quando denique Henricum, Conradi Bauari fratrem, sine prole decepisse, refert BROWILLERANVS MONACHVS, eo ipso prohibet, quo minus, duos Henricos concorporandos esse, statuamus. Henrico enim Lotharingo superstitem fuisse filium, et ab Annone, archiepiscopo Coloniensi, nutritum, multisque beneficiis ornatum, ex VITA ANNONIS²⁰ appetet. Ne igitur tibi fastidium moueam, haec relinquo. Vereor enim, ne iam dudum te satietas ceperit disputationis verbosae, de re praesertim adeo manifesta, ut, qui vtrumque Conradum, ac ambos Henricos discernere nequeat, proxime alippo absit. Expectas potius, ut, quo tandem genere ortum traxerint Henricus et Conradus, quoue patre nati sint, explicem. Sed, ut ingenue dicam, me ipsum ignorare, fateor. Atque etiam hoc te scire volo, me, lectis relectisque libris non paucis, perquisitis etiam non minimae molis voluminibus, operam oleumque perdidisse. Placebat primum, quod non nego, insistere vestigiis LAZII,²¹ qui, AVENTINI auctoritate inductus, Conradum Carinthium ex Louaniae comitibus fuisse perhibet. Sed inter eos quidem, quos BVTKENIVS²² admirabili industria enumeravit, Conradushac aetate non occurrit. Henrici plures nominantur, at nullus tamen, in quem conueniant, quae de Henrico furioso, comite in Lotharingia palatino, et, vel ob solum facinus, in vxorem admissum, minime obscurio, mihi innotuerunt. Suspiciari igitur mallem, Conradum, toties dictum, vna cum fratre, Henrico, ad maternam Conradi Salici familiam pertinere. Nam Adelheidam, Conradi, imperatoris, matrem, nobilissima Lotharingorum gente prognatam fuisse, WIPPO²³ testatur. Recensuerunt eius cognatos et MABILLONIVS²⁴ in saeculis Benedictinis, et eruditissimi ACTORVM SANCTORVM²⁵ colle-

collectores, quorum tamen opera mihi ad manus non sunt. Nihil itaque habeo, quod praeterea adiiciam de Conrado nostro, praeterquam, quod, auctoribus **LAMBERTO SCHAFFNEBURGENSI**²⁶ et **HERMANNO CONTRACTO**,²⁷ scio, per turbas, quae, ipso duce, Carinthiam affligerunt, Conradum impeditum fuisse, quo minus in possessionem ducatus iret, eoque ipso tempore, cum, milite armato, aditum sibi patefacere voluit, morte praeuentum fuisse. Quod utrum anno **CICL VIII**, an vero **CICL X** factum sit, ego, dissentientibus de hac re **HERMANNO** et **LAMBERTO**, definire non possum.

I **LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS** ad annum **1057**. apud *Pistorium T.I. p.323.* Cuono, cognatus regis, dux factus est Carentinorum. Frater eius Heinricus palatinus comes Luthoriorum, instinctu daemonis monasticam vitam professus est in Gorzia. Sed per paucos dies, vulgante se daemonio, quo illusus fuerat, sanctae conuersationis habitum, quo se angelus satanae in angelum lucis transfigurauerat, abiecit, vxoremque suam et possessiones, deseritor Dei et transfuga, recepit.

2 **CAR. LVDOV. TOLLNERVS** *historiae palatinae c. 9. p. 249. seqq.*

3 **MONACHVS BROWILLERANVS** in vita Ezonis et Mathildae c. 1. apud *Leibnit. script. Brunsvic. p.316.* Ludolphus, Ezonis filius, filiam Ottonis comitis de Sudueno, (*Zutphen*) nomine Mathildem, in coniugem accipiens, duos aequae per omnia sibi simillimos ex ea generauit filios, Henricum videlicet et Cunonem, quorum alter suam post mortem eius comitatuum, alter vero Bauariae meruit ducatum. Verum e vita excessit uterque sine stirpis successione.

4 **IO. IAC. MASCOVIVS** in diss. de nexu regni Lotharingiae cum imperio Rom. Germ. §. 7. not. 6. p.10.

5 **HERMANNVS CONTRACTVS** ad an. **1041.** apud *Pistorium T.I. p.290.* Imperator (Henricus III) natalem domini Frisingiae, et purificationis S. Mariae Ratisponae agens, Baioariae dum

cem

- cem Conradum constituit, et circa quadragesimale tempus in Saxoniam recessit.
- 6 IDEM ad annum 1053. p. 296. Imperatore in Saxonia apud Merseburg commorante, cum rege Danorum pascha egit, ipsiusque diebus Conradum, Bauariae ducem, cui iam prius offensus erat, incusatum, quorundam principum iudicio ducatu priuavit.
- 7 MARIANVS SCOTVS ad annum 1054. apud *Pistorium* T.I. p. 650. Conradus, dux, ab imperatore Henrico expulsus, in Pannonia, exul, veneno sublatus est.
- 8 ANNALES HILDESHEIMENSES ad annum 1054. apud *Leibnitium*, T.I. p. 731. Chunradus, dux antea Noricus, ab imperatore expulsus, in Pannonia exul, male moritur.
- 9 ANNALISTA SAXO ad annum 1055. apud *Eccardum* T.I. p. 486. iisdem omnino uerbis usus, quae ex annalibus Hildesh. sunt adducta.
- 10 CHRONOGRAPHVS SAXO ad an. 1055. apud *Leibnitium* accession. hist. T.I. p. 254.
- 11 TOLLNERVS in historia palatina p. 251. lit. e. et p. 253. lit. g.
- 12 HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 1053. p. 296. Ad quem conuentum cum Conradus, dudum Baioariae dux, venire nolens, cum expeditis militibus regi rebellare moliens, Hungaros se adiungere tentasset, et Carentani fines inuasisset, quibusdam inibi, quas prius habuerat, possessionibus suis ab imperatore priuatus est, eas quasi legaliter acquirente. IDEM p. 297. Per idem tempus Chunradus, dudum dux, ab Andrea, rege Hungarorum gratauerit suscepimus, ei, ne alligatum cum imperatore foedus perficeret, dissuasit, et auxilio eius quandam Carantani partem, quorundam etiam primatum, qui eam possidebant, machinatione, aliis expulsis primoribus, inuasam cepit,
- 13 TOLLNERVS l.c. p. 254. lit. c.
- 14 LAMBERTVS SCHAFFNEBVRGENSIS ad an. 1061. apud *Pistorium* T.I. p. 326. Henricus palatinus comes Luthariorum vxorem suam manu propria interfecit, et sic tandem, publicata euidenti insectatione daemonis, quam diu dissimulauerat, missus est in monasterium Effernacense, ibique, diuturna vexatione consumatus, interiit.

- 15 MONACHVS BROWILLERANVS in vita Ezonis et Mathildae c. 3. apud *Leibnitium* T. I. p. 320. Ludolphus, solus filiorum eius, tribus ante transitum eius (Ezonis) annis in ipso Browillensi oppido -- defunctus, et ibidem est conditus, iuxta quem et Henricus, filius eius, situs est. Otto igitur, filius eius, (Ezonis) -- patriis rebus et honore dignus heres substitutus est.
- 16 IDEM l.c. p. 321. Imperator autem maioris volens dignitatis gloria virum extollere, accepta ab eo insula S. Suitberti atque Duysburg, munificentiae gratia Sueorum ei committit ducatum, Henrico eius patrui filio ad palatii dignitatem substituto.
- 17 GELENIVS in auctuario uita S. Engelberti archiepiscopi Coloniensis p. 304.
- 18 vid. nota 15.
- 19 vid. nota 14.
- 20 VITA ANNONIS apud Surium c. 32. p. 801. a Tollnero allegata in historia palatina p. 251. lit c.
- 21 LAZIVS demigrat. gent. L. VI. p. 217. n. 16. Conradus, comes Louaniensis, hoc nomine in ducatu tertius etc.
- 22 CHRISTOPHRE BVTKENS trophyes de Brabant. T. I. L. III. c. 3. p. 84.
- 23 WIPPO in vita Conradi salici apud *Pistorium* T. III. p. 464. Maioris Cunonis mater, Adelheyda, ex nobilissima gente Lotharingorum oriunda fuerat.
- 24 MABILLONIVS saec. VI. Benedict. P. II. p. 53.
- 25 ACTA SANCTORVM d. II. mens. April p. 649.
- 26 LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad annum 1058 p. 324. Cuono, dux Carentinorum, contractis ingentibus copiis, ad occupandum ducatum suum, quem tanto tempore, metu rebellionis non inuiserat, primam profectionem parabat, sed, morte praeuentus, coeptum iter non complevit.
- 27 HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 1060. p. 299. Conradus, qui Carentanis solo nomine ducis praefuit, moriens locum dedit, cuius ducatum Bertholdus Suevigena accepit.

IX.

Patet ex dictis, Conradum in Welfonis locum anno **CIO LVII**, teste **LAMBERTO SCHAFFNEBVRGENSI**,¹ suffectum fuisse, non Bertholdum, qui demum Conrado, anno **CIO LIX**,² aut, ut alii³ malunt, anno **CIO LX** defuncto, successit. Fuit autem hic ex gente Zaringensi nobilissima pariter ac antiquissima ortus, quam proxime in peculiari commentatione ex documentis antiquis illustrabo. Et apud caesarem quidem, Henricum III, tantum gratia potuit noster, ut Sueviae ducatus spem, arrhaeque nomine annulum, ab eo acceperit. Sed quoniam superstes Henrico III fuit Otto Suinfurthensis, dux Sueviae, nimirum anno demum **CIO LVII. IV. Kal. Octobr.** defunctus, quod **ANNALISTA SAXO**⁴ testatur, annulum Agneti, imperatrici, obtulit Bertholdus, in cuius tutela Henricus IV, rex puer, fuit. Quae, etsi signum a marito datum agnouit, magis tamen suo in futurum generum amori, quam promissioni defuncti coniugis, indulxit, ac, posthabito Bertholdo, ducatum Sueviae Rudolpho Rheinfeldensi concessit. Non tulit hoc aequo animo Zaringensis, spe amplissima frustratus, et, cum ad vindictam sumendam satis pronus esset, indignationem, quam mente conceperat, ne quidem dissimulauit. Ut igitur virum, qui non minimae in regno auctoritatis fuit, deliniret Agnes, ducatum, per mortem Conradi Carinthii vacuefactum, Bertholdo commisit, sive illum Henrico IV, filio, deuinxit. Hinc bene postea duci cum imperatore conuenit, a quo etiam precibus impetravit, ut ducatum Carinthiae in filium, eodem Bertholdi nomine celebrem, vel statim conferret, vel certe facultatem aliquando succedendi indubiam, illi largiretur. Id enim **ANNALISTA SAXO**,⁵ AVCTOR CHRONICI S. PANTALEONI

LEONIS,⁶ et CONRADVS VRSPERGENSIS⁷ iisdem ferre verbis enarrant. Nihilo tamen magis perpetuam gratiam regis fuisse, quam Bertholdus inierat, exinde apparet, quod LAMBERTVS SCHAFFNEBVRGENSIS,⁸ ac reliqui auctores, antea excitati, testantur, ducatum Carinthiae, Bertholdo creptum, Marquardo, caesaris cognato, datum fuisse. Qua de causa, aut quo colore id factum sit, ego indicare non possum. Si fides tamen est LAMBERTO,⁹ de Henrico IV plerumque iniquius sentienti, dicendum erit, per iniuriam Bertholdum, ne auditum quidem, Carinthia depulsum fuisse. Scribit enim, Henricum IV, a Bertholdo de causa interrogatum, pudore suffusum, respondebat, nihil a se actum esse, Carinthiae contemplatione, quod detrimento esse Bertholdo posset, temeritatique Marwardi, ineptissimi hominis, deberi, si quid forte, quod Bertholdo suspicionem moueret, accidisset. Acquieuisse igitur, addit, Bertholdum in fide, a caesare sibi data, illique consilio et opera contra Saxones adfuisse, componendorumque dissidiorum causa legationem ad eos suscepisse, quod eti m ANNALISTA SAXO¹⁰ confirmat. Sed remansit tamen apud Bertholdum alta mente reposta ducatus, ab imperatore ablati, suspicio. De qua vt primum certior factus fuit, relictis Henrici IV partibus, mox se manifestum ac perpetuum caesaris hostem est professus. Neque segnior in ipso coercendo fuit caesar. Imo proscriptum auitis etiam terris priuauit, et ex his comitatum quendam ecclesiae Argentiniensi dedit, vt diploma Henrici IV apud S.R. HERRGOTTVM¹¹ declarat. Quo impatientior igitur Bertholdus malorum fuit, eo citius dolor omnes animi corporisque eius vires consecit, vt anno CICLXXVII diem supremum obierit.¹² Filius autem Bertholdus ad annum usque CICXC superstes fuit, quo ipso vitam, inter maximas turbas et contentiones actam, cum morte commutauit.¹³

- 1 LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad annum 1057. p. 323.
- 2 IDEM ad an. 1059. p. 324.
- 3 HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 1060. p. 299.
- 4 ANNALISTA SAXO ad an. 1057. apud Eccardum T. I. col. 489.
in fin.
- 5 IDEM l. c. col. 490.
- 6 CHRONICON S. PANTALEONIS ad an. 1057. apud Eccardum
T. I. col. 905.
- 7 CONRADVS VRSPERGENSIS ad an. 1057. p. 168.
- 8 LAMBERTVS SCHAFFNERVURGENSIS ad annum 1073. apud
Pistorium T. I. p. 352. Rex natalem domini Babenberg celebra-
uit. Ibi Bertholdo, duci Carnotensium, ducatum sine legitima
discussione, absenti abstulit, et Marcwardo cuidam, propinquuo
suo, tradidit.
- 9 IDEM l. c. p. 358. Casu quoque nuper aduenerat, nescio, quid
priuatae cauillae acturus in palatio, Bertholdus, dux quondam
Carentinorum. Huic rex quam sanctis obrestationibus se pur-
gabat, quod ducatum eius nulli alii tradidisset, sed Marcwardus,
priuata prae sumptione fines alienos inquisisset, nec ei quicquam
propterea de iure suo imminutum esse, si suo iniussu, sine con-
fulto principum, honores publicos homo ineptissimus teme-
rasset.
- 10 ANNALISTA SAXO ad an. 1073. l. c. col. 508. et ad an. 1075.
col. 519.
- 11 MARQWARDVS HERRGOTT in codice diplomatico genealo-
giae Aug. gentis Habsburgicae adiecto T. II. P. I. n. 187. p. 126.
seq. Vnde ob interuentum principum nostrorum - - quen-
dam comitatum, sicut in pago Brisgowe, Bertholdo, iam non
duci, iusto iudicio sublatum, cum omnibus appendiciis legum
sanctae Mariae Argentinensi in proprium tradendo firmaimus.
Datum diploma est Moguntiae Kal. Iul. anno 1077.
- 12 ANNALISTA SAXO ad annum 1077. apud Eccardum T. I.
p. 540. in fin. Bertholdus, dux Carinthiae, in oppido suo Lint-
berch, naturaliter munito, positus, vitam praesentem finiuit. CON-
RADVS VRSPERGENSIS ad an. 1077. p. 170. Bertholdus de
Zaeringen, dux quondam Carinthiae, in quodam oppido suo Lint-
berg, naturaliter munito, positus, dum videret, ex arbitrio regis
cuncta

euncta impune vastari, p̄ae dolore animi dicitur eo morbo, quem medici Φρέγετον vocant, occupatus fuisse, septemque diebus postea superstes, multa amentiae verba, quasi delirans, protulisse, siveque vitam finiuisse. Ad eundem annum mortem eius refert CHRONOGRAPHVS SAXO apud Leibnitium access. histor. T. I. p. 262. et auctor incertus FRAGMENTI apud Virgiliū T. II. p. 83. Sed BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS apud eundem T. I. p. 349. ad annum subsequentem producit.

¶ 3 BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ad ann. 1090. l. c. p. 363.
CHRONOGRAPHVS SAXO apud Leibnitium l. c. p. 271.

X.

Ad Marquardum igitur progredior, cui imperator, Henricus IV, teste LAMBERTO SCHAFFNEBURGENSI, anno CIOCLXXXIII Carinthiam concessit, posteaquam Bertholdi Zaringensis pertaesus fuisse. Non incommodum igitur erit, etiam de huius gente aliqua non omnino inutilia inspergere, ut, quibus maioribus usus sit princeps, fide sua in Henricum IV maximopere celebrandus, perspiciat. Id vero constat, patrem illi fuisse Adalberonem, Marquardum autem. Atque, si vera sunt, quae LAZIVS² MEGISERVS,³ REICHARTVS⁴ et SCHOENLEBENIVS⁵ perhibent, etiam proauum habuit, eodem Marquardi nomine insignem. Namque apud AVENTINVM⁶ commemoratur Richardis, Marquardi Carentani soror, Vlrico, Ebersbergensi comiti, nupta, anno a C. N. CIOCLXIII. Ebersbergi sepulta. Et de AVENTINI quidem fide minime dubito, qui, haec ex fastis et diplomatibus Ebersbergensibus et Beurenibus se accepisse, refert.⁷ Non aequa facile ceteris credo, quando hanc ipsam Richardim, Marqt. filiam fuisse, aiunt. Forte tamen et hoc veterum codicum auctoritate nititur, a me non inspectorum. Ideoque refellere animus non est, etsi sine idoneo teste pro certa venditare rem non ausim. In eo tamen temporum

rationem posthabuerunt LAZIVS, MEGISERVS, REI-
CHARTVS et SCHOENLEBENIVS, quod Marquardum,
Richardis patrem, eum ipsum esse, sibi persuaserunt, qui, in-
terieicto saeculo, et, quod excedit, ducatum Carinthiae ab
Henrico IV accepit. Si enim verum est, quod AVENTI-
NVS scribit, Richardim, iam anno DCCCCLXIX elocatam
matrimonio, anno CIOXIII defunctam esse, certe pater
eius, quounque tandem nomine venit, Marquardum du-
cem Carinthiae habere pronepotem potuit, et habuit re-
uera, si recte se habent reliqua, a LAZIO et affeclis consi-
gnata. Marquardi enim nostri, Carinthiae ducis, pater fuit
Adalbero, natus parente Marquardo, Richardis fratre.
Qui si Marquardum patrem habuit, aut alium, quounque
nomine vocatum, hic certe proauus erit Marquardi, du-
cis Carentani. Sit interim Marquardus pater Richardis.
Sit et Marquardi, quem fratrem Richardis fuisse, AVENTI-
NVS ⁸ ex prisci aeui monumentis memorat. Cui si
tuto credi potest, habebimus etiam vxorem Marquardi,
Hathmudam, Adalberonis, Ebersbergensis comitis, et Luie-
gardae filiam, sororem Vlrici, qui Richardin, sororem Mar-
quardi Carinthii, habuit vxorem. Ex hoc vero Marquar-
do, et Hathmuda Ebersbergensi, natus fuit Adalbero, ⁹ dux Carinthiae, cuius iam supra mentio facta fuit. Non
habeo tamen, quod de aetate eius scribam. Nam tunc
demum apud veteres eum nominari, video, cum anno
CIOXII ab Henrico S. dux Carinthiae factus fuit. Atque
hoc praeter ceteros HERMANNVS CONTRACTVS ¹⁰
annotauit. Sed quoniam Conradi, tunc fatis functi, filius
ad suam iniuriam pertinere, existimauit, quod patria pro-
uincia fuerat priuatus, Adalbero illum hostem habu-
misque expertus, Conradi Salici auxilio in fugam actus
fuit. ¹¹ Seruauit tamen, etiam vietus, ducatum Adalbero,
illumque, anno demum CIOXXXV, laese maiestatis reus
postu-

postulatus, amisit, vnaque cum filiis in exilium pulsus fuit.¹²
 Quid autem in primis commiserit, tam atroci nomine, et
 feuerâ animaduersione, dignum, ab iis, quos mihi inspicere
 licuit, scriptoribus antiquis proditum non est. **MEGISE-**
RVS¹³ illi saevitiam et turbas, paci publicae inimicas, ex-
 probrat. Quo auctore, non addit. Illud vero **ANNALI-**
STA SAXO,¹⁴ **CHEONOGRAPHVS SAXO**¹⁵ et **ANNA-**
LISTA HILDESHEIMENSIS¹⁶ tradunt, anno **CIOXXXVI**
 Adalberonem, ob Guilielmum quendam comitem interfec-
 tum, in castrum Ebersbergense latendi caussa aufugisse.
 Denique illum anno **CIOXXXIX** mortuum esse, **HER-**
MANNVS CONTRACTVS¹⁷ testatur. Geisenfeldae au-
 tem in Bauaria sepultum esse, **AVENTINV S**¹⁸ addit. Quam
 vxorem habuerit, incertum est. Si quid vero in re ancipi-
 tati coniecturis dare liceret, coniugem illi fuisse, dicerem,
 filiam ducis Sueviae Hermanni. Atque, si in re antiqua
LAZII¹⁹ et **MEGESERI**²⁰ auctoritas aliquid posset, paulo
 id securius ac confidentius affirmarem, propterea, quod
 vterque Adalberonis vxorem materteram **Conradi II**, ducis
 Carinthiae, fuisse asseuerat. Matrem autem huius Conradi
 fuisse Mathildem, Hermanno, duce Sueviae, et matre Gepa
 Burgundica, natam, iam supra a me ostensum, et ab amplis-
 simo **KOELERO**²¹ latius demonstratum fuit. Sed prae-
 ter hanc Mathildem nostram, et sororem eius **Giselam**, Con-
 radi Salici coniugem, tertiam Hermanno fuisse filiam, **HER-**
MANNI CONTRACTI²² auctoritate tueri possim. Idem
²³ quoque vna cum **BERTHOLDO CONSTANTIENSI**,²⁴
 me in coniectura confirmat, quoniam Adalberonem,
 Bambergensem episcopum, Adalberonis nostri filium,
 Henrici III, imperatoris, consobrinum appellant. Quod
 nomen si in stricta usurparunt significatione, sequitur, ut
 Gisela, Henrici III, et Adalberonis, episcopi Bambergensis,
 matres sorores fuerint.

- 1 LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad annum 1073. vid.
nota 8. § antecedentis.
- 2 LAZIVS de migrationibus gentium, L. VII. p. 404. Vlricus,
comes de Sempt et Ebersberg, ex vxoribus, quarum altera Ri-
charda nomine, Marquardi, ducis Carinthiae, filia fuerat, Adalbe-
ronem - - suscepit.
- 3 MEGISERVVS L. VII. c. 30. p. 636.
- 4 ALBERTVS REICHARTVS in breuiario historiae Carinthiae ad
annum 969. p. 106.
- 5 SCHOENLEBEN. in Carniola antiqua et noua P. III. p. 515. a. Eo-
dem anno (969) Carinthia, cuius pars adhuc erat Carniola, illus-
tre ornamentum transmisit in Bauariam, beatam Richar-
dam, Marquardi, Carinthiae marchionis, qui postea ad ducatum
assumtuſ, filiam, Vdalrico, Ebersbergensi comiti, nuptam.
- 6 AVENTINVS annal. Boic. L. V. c. 7. n. 34. Vlricus, comes de
Ebersberg, vxorem duxit Richardim, sororem Marichardi Carini,
cui Hadmudam sororem vicissim nuptum dedit.
- 7 IDEM l. c. p. 505. n. 34. in fin. Haec, ex fastis et diplomatibus
Ebersbergensibus Beurorumque accepta, ex fide refero. Ibi-
demque huiusmodi publica instrumenta caesarum et pontificum
seruantur.
- 8 vid. nota 6.
- 9 WIGVLEIVS HVNDIVS in metropoli Salisburgensi T. III.
p. 245. Caufa huius donationis fuit, quod pater Marquardi et
Adalberonis, Adalbero, dux Carinthiae, in Geisenfeld sepeliri
voluit, quod mater sua Hadmet, vxor Marquardi, marchionis
Carinthiae, comitis in Murz et Murzhal, parentis sui, erat filia
Adalberonis, comitis de Sempt. Expulſus igitur de ducatu
Carinthiae Adalbero confugit ad suos cognatos, atque in Geisen-
feld delegit sepulturam.
- 10 HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 1012. p. 272. Con-
radus, dux Carentani, moriens Adalberoni ducatum reliquit.
- 11 IDEM ad annum 1019. p. 273. IDEM ad annum 1035. p. 278.
- 12 WIPPO in vita Conradi Salici apud Pistorium T. III. p. 474.
Paullo post Adalbero, dux Histrianorum siue Carentanorum
reus

reus maiestatis, vietus ab imperatore, cum filiis exulatus est, et ducatum eius iste Chuono ab imperatore suscepit, quem duca-tum pater eiusdem Chuononis dudum habuisse perhibetur.

13 MEGISERVUS L. VII. c. II. p. 698.

14 ANNALISTA SAXO ad annum 1026. apud *Eccardum* T. I. col. 464. Iisdem diebus Adalbero Wilehelnum, comitem, in-terfecit, et postea in castellum Eresberch latendi caussa con-fugit.

15 CHRONOGRAPHVS SAXO ad annum 1036. apud *Leibnitium* accession. histor. T. I. p. 244.

16 ANNALISTA HILDESHEIMENSIS ad annum 1036. apud *Leibnitium* script. Brunsie. T. I. p. 728.

17 HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 1039. p. 281. Chun-radus, dux Carentani, et Adalbero, aemulus eius, qui ante eum du-catum eundem habuerat, ipso anno obierunt.

18 AVENTINVS annal. Boicor. L. V. c. 9. n. 1. p. 514.

19 LAZIVS de migrat. gent. L. V. p. 206. Itaque accidit poste-rius, ut Hungaricus ille marchio, Albertus, origine comes de Muerzthal et Auelanz, deficiente vel pulsa nobili familia Sue-uorum, rerum inciperet in Carnis potiri, quod materteram Con-radi II in matrimonio haberet, et ex ea Marquardum, Lutoldum, et Henricum generasset.

20 MEGISERVUS L. VII. c. II. p. 698.

21 KOELERV de familia Aug. Franconica p. 23. n. 10.

22 HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 997. apud *Pistorium* T. I. p. 269. vid. not. 7. §. V.

23 BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ad an. 1054. apud *Vist-arium* T. I. p. 341. Imperator Adalberonem, consobrinum suum, in villa Otringen, vbi natuitatem domini egit, Bambergensi ecclesiae praefecit.

24 HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 1054. p. 297. Im-pe-rator Bambergensis ecclesiae praesulatum consobrino suo, Adal-beroni, donauit.

XI.

Quod ad liberos Adalberonis, Carinthiae, ducis attinet, inuenio Marquardum, ab anno CICLXXIII itidem Carinthiae ducem, et fratrem eius Adalberonem, episcopum Bambergensem. Vtriusque eorum mentio fit in libro veteri traditionum monasterii Geisenfeldensis, ad quem WIGLEIVS HUNDIVS ¹ prouocauit. Sed his duobus tertius adiungendus erit, nimirum Liutpoldus, anno CICXLV defunctus, si recte intelligo, quae ANNALISTA SAXO ² ad hunc annum annotauit. De Adalberone praeterea apud HERMANNVM CONTRACTVM, ³ LAMBERTVM SCHAFFNEBURGENSEM, ⁴ et BERTHOLDVM CONSTANTIENSEM, ⁵ lego, illum anno CICLIV ab Henrico III, imperatore, ad episcopatum Bambergensis ecclesiae admotum, tres annos rei sacrae praefuisse. Nam anno CICLVII XVI. Kal. Mart. diem supremum obiisse eum, et ANNALISTA HILDESHEIMENSIS ⁶ et NECROLOGII HILDESHEIMENSIS ⁷ auctor annotarunt. Alter filius Marquardus fuit, in locum Bertholdi, ducis Carinthiae ex auctorati, anno CICLXXIII, LAMBERTO SCHAFFNEBURGENSI ⁸ teste, surrogatus. Non multum dictis obest CONRADVS VRSPERGENSIS, ⁹ cum aliis, qui, Luitoldum Bertholdi successorem fuisse, ajunt. Namque Luitoldum hunc filium Marquardi fuisse, ex subsequentibus apparebit. Ac forte propterea tantum magis innocuit posteritati, quod, post ducatum, ab Henrico IV acceptum, rebus humanis haud diu superfuit Marquardus, anno quippe CICLXXVII defunctus, si MEGISERO ¹⁰ hoc affirmanti, credi potest. In eo certe cum MEGISERO facere nequeo, quando d. VII. Id. April. Marquardi emortualem fuisse tradit. Cum enim Henricus IV. anno CICLXXVII, festo

festo paschali Veronae celebrato, ex Italia in Germaniam rediit, Marquardum vna cum filio, Liutoldo, itineris comites ac corporis custodes habuisse, a BVRCHARDO S. GALLI MONACHO ¹² narratur. At memoriam resurrectionis Christi anno CICLXXVII d. xvi. Kal. Maii celebratam fuisse, rationes temporum ostendunt, locumque argumentationi faciunt, Marquardum, si vel maxime anno, quem MEGISERVS nominat, e viuis excessit, VII tamen Idus April. superstitem fuisse. Vxorem habuit Liutpirgam, quae in litteris ¹³ Henrici, filii, ducis Carinthiae, nominatur. Quia autem gente prognata fuerit, in tanta obscuritate temporum, et scriptorum silentio, indicare mihi non licet. LAZII ¹⁴ certe, toties fallentis, fidem sequi nolo, quando Liutpirgam hancce filiam Henrici IV, imperatoris, ex Bertha, Azonis, Italiae marchionis, filia natam fuisse, ait.

I WIGVLEIVS HVNDIVS in metropoli Salisburg. T. II. p. 248.
ex libro vetere traditionum : Quidam illustris prosapiae clericus, Adalbero nomine, et germanus eius, Marchwart, ducis Adalberonis filii, dederant ad altare S. Mariae, in manus Gerbirgæ, abbatissæ, et aduocati eius, Erchingeri, syluam, quam haberunt in loco Mosbach. Cuius rei testes sunt Gerolt, Iacob, Riwin, Rapoto, Starchant, Hezil, Petino, Anno, Razili.

2 ANNALISTA SAXO ad an. 1045. apud Eccardum T. I. p. 479.
Liutoldus marchio, Adalberonis filius, maxima Hungariorum clades, immature obiit.

3 HERMANNVS CONTRACTVS ad an. 1054. apud Pistorium T. I. p. 297. vid. not. 24. §. anteced.

4 LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad annum 1054. l. c. p. 321.

5 BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ad an. 1054. apud Viristi. sum T. I. p. 341. vid. not. 23. §. superioris

6 ANNALES HILDESHEIMENSES ad an. 1057. apud Leibnitium T. I. p. 731. Item obierunt Adalbero, Babenbergensis episcopus, et Otto, dux de Sainsfurdii.

- 7 EXCERPTA NECROLOGII HILDESHEIMENSIS ecclesiae veteris apud *Leibnitium* T.I. p. 763. XVI. Kal. Mart. Adalberto IV. Bambergensis episcopus,
- 8 LAMBERTVS SCHAFFN. ad an. 1073. l. e. p. 352. vid. nota 8. §. IX.
- 9 CONRADVS VRSPERGENSIS in chronicō ad an. 1057. p. 168. pro qua commotione lenienda ducatus Carinthiae ei committitur, quem postea filio suo aequiuoco, ipsius rogatu, Rex, Henricus, commisit, sed postmodum quorundam instinetu eundem ducatum Luitolfo consanguineo suo dedit.
- 10 MEGISERVVS L. VII. c. 32. p. 741. Vm diese Zeit - - ist auch Erzherzog Marckhardt zu Khernten ein reicher treffentlicher und fast beruhmter Furst im Jahr nach Christi unsers Herrn Geburth 1077. d. 7. Aprilis in dem ein und funffzigsten Jahr seines Alters, und in dem funfsten Jahr der Furstlichen Regierung über Kernthen, in seiner Graffschafft Muerzthal ganz seliglich im Herrn entschlaffen und gestorben.
- 11 BVRKHARDVS de casibus monasterii S. Galli. c. 7. apud *Gol-*
dastum script. rer. Aleman. p. 71. vid. not. 3. §. seq.
- 12 LAZIVS de migrat. gent. L. VI. p. 210.
- 13 vid. not. 15. §. XII.

XII.

Ex liberis Marquardi, quorum memoria ad nostram peruenit aetatem, ego noui Luitoldum, Henricum, Vdalricum, et Hermannum. Non enim hic ratio habenda est LAZII, ¹ qui, nescio, cuius auctoritate adductus, Luitoldum hunc filium dixit Conradi, ducis Carinthiae, anno CIO LIIX aut LX defuncti. Hoc nomine tamen iam a MEGISERO ² notatus fuit. Ego vero, dum, illum Marquardo patre natum fuisse, dico, fide nitor BVRCHARDI S. GALLENIS, ³ qui, Luitoldi patrem Marquardum fuisse, ait. Et est quidem ipse Luitoldus, qui socius itineris et fidelissimus custos Henrici IV, ex Italia in Germaniam proficiscientis, fuit. Norimbergae quoque, vbi postea Sigeberto,
pa-

patriarchae Aquileiensi, Carniolam et Istriam donauit caesar, praesens fuit Luitoldus, quod ANONYMVS LEOBIENSIS. ⁴ restatur, et diplomata HERRICUS IV⁵ confirmant. Quodsi recte auguror, etiam anno CIO LXXXVI una cum caesare moratus est Moguntiae. Nam inter ceteros principes, ecclesiasticos et saeculares, ibi praesentes, etiam dux Lutoldus commemoratur. ⁶ Quo pauciores igitur tunc proceres in partibus Henrici perstiterunt, eo maiori laudi Luitoldo foret pietas in principem, nisi et ipse tandem diris et execrationibus pontificis R. permotus, animum ad capessendum, viuo Henrico, imperium appulisset. Hoc enim illi vitio dat WALTRAMVS, ⁷ episcopus Numburgensis, dum mortem eius meminit, quam, ad stipulantibus ANNALISTIS SAXONE ⁸ et HILDESHEIMENSI, ⁹ in annum CIO XC incidisse, narrat. De vxore eius ac liberis nihil habeo certi, quod afferam. Et LAZIUS ¹⁰ quoque, alias satis confidenter de rebus maxime ambiguis statuens, dubiis duntaxat verbis de sobole Luitoldi loquitur. Quam ob rem, misso Luitoldo, ad Henricum fratrem eius progedior, qui, dum Lutoldus vixit, marchiam Istriae administrasse, videtur. Hoc saltem MEGISERVUS ¹¹ perhibet. Et ego eo facilius eius sententiae accedo, quod apud BVRCHARDVM, S. GALLI MONACHVM ¹² occurrit frater, Vdalrici, patriarchae Aquileiensis, qui, marchiam Istriae ex beneficio Henrici IV tenuisse, narratur. Potuisse tamen Vdalricum alium fratrem habere, praeter Henricum et Luitoldum, ne ipse quidem negauerim. Ideoque rem in medio relinquo. Illud autem probatu haud est difficile, Henricum nostrum Luitoldi, Carinthiae ducis, fuisse successorem. Id enim litterae donationum, monasterio Oberndorfensi factarum, anno CIO XC VI ab Henrico, Carinthiae duce, exaratae, ¹³ demonstrant. Confirmat CONRADVS VRSPERGENSIS, ¹⁴ quo teste, anno CIO CI, Henricus Lon-

gobardis liberum transicu[m] permisit, cum per Carinthiam
et Hungariam in palaestinam, superstitione quadam, his
saeculis visitata, contenderunt. Idem Henricus noster
anno CIOCIII liberalitatis suae insigne documentum edi-
dit, quando pro remedio animarum, suae, et Luitkardis,
coniugis, et patris matrisque, Marquardi et Luitpirgae, fra-
trumque suorum, et aliorum parentum, altari S. Lamberti
praedia obtulit.¹⁵ Anno CIOCX una cum Henrico V,
caesare, Italiam petiit, ac in pactione,¹⁶ inter hunc et Pa-
schalem II, pontificem maximum, inita, fidem suam, caesa-
ris nomine, obstrinxit. Posthaec circa annum CIOCXXIII
cum Conrado, Salisburgensi archiepiscopo, bellum gessit,
Vdalrici, fratris, gratia, suscep[t]um. Sed, testante AVCTORE,
qui VITAM CONRADI,¹⁷ modo commemorati, descripsit,
infelici armorum successu usus, iis abiectis, pacem supplex
petiit a praesule, et impetravit. Mortem eius ad d. XXV
Martii anno CIOCXXVII MEGISERVS¹⁸ refert. Ei-
que assentiri videtur liber ANNALIVM vetus, a LAZIO¹⁹
excitatus. Sed s. R. HANSIZIVS²⁰ anno CIOC
XXVIII superfuisse Henricum, mauult. Quo auctore,
non addit. Vxorem, quam ipse in diplomate nominat,
habuit Luitkardim.²¹ Qua autem gente sata fuerit, ego
in praesenti non diuinauerim. Adduntut aliae duas a
LAZIO²² et MEGISERO,²³ Beatrix nempe, et Sophia,
in coenobii Victoriensis opibus augendis admodum bene-
fica. Verum, ego utriusque, et Sophiae in primis memo-
riam iis recolendam relinquo, quibus documenta, in fidem
liberalitatis exarata, sunt ad manus. Horum etiam indu-
striae commendo Richardim, a MEGISERO²⁴ commemo-
ratam, filiam Henrici nostri, qui suis in tot monasteria be-
neficiis omnino meruisse videtur, ut filiae unicae, si tamen
vnquam reliquit, aut habuit, monumentum erigatur. Ego
vero esse puto, cur Henrico filiam fuisse, negem, aut, si fuit,

Stiriae

Stiriae potius marchioni, quam Friderico, Sponheimensi et
Ortenburgensi comiti, nuptam, existimem. Etenim ex
fragmento quodam genealogico vetere, quod s. R. D. HAN-
SIZIVS ²⁶ Germaniae sacrae inseruit, apparet, Leopol-
dum fortē, Stiriae marchionem, heredem Henrici in bo-
nis, quae optimo maximo iure possedit, fuisse. Idemque
ab HASELBACHIO ²⁷ confirmatur. Vix vero hoc acci-
disset, si filiam Henricus, Friderico collocatam, habuisset.
Accedit, quod de marito Richardis ea vulgo referuntur,
quae cum doctrina temporum nulla ratione conciliari que-
unt. Namque illam matrimonio Friderici Sponheimensis
iunctam fuisse, perhibent. Hunc autem fratrem fingunt
Hartwici, archiepiscopi Salisburgensis, qui, teste HV N-
DIO, ²⁷ ecclesiam suam ab anno DCCC CXC, aut, ut HAN-
SIZIVS ²⁸ corrigit, ab anno CI CXXI ad annum usque
CI CXXIII gubernauit, id quod ex CHRONICIS, SALIS-
BURGENSI, ²⁹ et ADMONTENSI, ³⁰ patet. Quod si ve-
rum est, non video, qui stare queat, quod vulgo fingunt,
nuptias, inter fratrem Hartwici et Richardim contractas,
Hartwici opera conciliatas esse. Ego certe, nisi Richar-
dim, Henrici filiam, vel in lumbis maiorum sponsam dictam,
vel Hartwicum vna cum fratre Friderico ab inferis resuscita-
tos, probauerint, mihi persuaderi non patiar, homines,
toto saeculo a se inuicem disiunctos, in matrimonium coi-
uisse. Facilius MEGISERO ³¹ crederem, aut saltem com-
putationi temporum conuenientius commentum esse, dice-
rem, quando Richardim, filiam Henrici, ducis Carinthiae,
anno CI CXXI defuncti, fuisse, inquit. Quod enim ad ae-
tatē attinet, fieri omnino potuisset, ut Fridericus, Hartwici
frater, filiam Henrici, quem nominat, vxorem duxisset.
Hoc vnicum MEGISERO obstat, quod Henricum modo
commemoratum, nunquam in rerum natura extitisse, de-
monstratum fuit. Neque tamen MEGISERVUS ³² quo-
que

que sibi satis constat. Nam Friderici Sponheimensis coniugem, mox Henrici illius conficti, mox Henrici Murzthalensis, de quo hic agimus, filiam fuisse, indecora historico varietate, iactat. Igitur REICHARTVS, ³³ hanc MEGISERI oscitantiam animaduertens, Henrici Murzthalensis filiam Hedwigem appellat, illamque Engelberti Sponheimensis vxorem fuisse, defendit. At enim vero, cum nec REICHARTVS vlla a se dictis testimonia addat, ego rem incertissimam eruditis Carinthiis, ac iis maxime, conficiendam relinquo, qui etiam hodie inclytæ gentis Murzthalensis largitionibus fruuntur. Ego vero ad Vdalricum transeo, filium Marquardi tertium, quem Henricus IV, imperator, teste BVRCHARDO S. GALLENSI, ³⁴ anno CIO LXXVII abbatem S. Galli constituit, mox etiam Aquileiensis patriarchae dignitate auxit, hisque beneficiis suis adeo sibi deuinxit, ut eum in omnibus, quas a Germanis aequæ ac pontificibus R. percessus est, aduersitatibus fidelissimum adiutorem habuerit. Magni igitur caesar principem sibi addictissimum fecit, eiusque contemplatione Carniolam et Istriam, ecclesiae Aquileiensi iam antea quidem datam, sed postea denuo erectam, restituit, ac Vdalricum in litteris, ea de causa scriptis, fidelem suum et dilectissimum consanguineum appellauit. ³⁵ Hic Vdalricus obiisse ab VGHELLO ³⁶ dicitur anno CIOCXII. Alii ad annum CIOXIV, MEGISERVVS ³⁷ ad annum CIOCXVII, ³⁸ COLETVS plane ad annum CIOCXIX illum superfuisse, adstruunt. Ego, ad annum CIOCXXIII vixisse, aio, si recte se habent numeri apud BVRCHARDV M ³⁹ toties allegatum. Hic enim, Vdalricum nostrum abbatiae S. Gallensi, quam una cum patriarchatu Aquileiensi retinuit, praefuisse, tradit, annos XLVI et tres menses. Qui si ad annum CIOLXXVII, quo abbatiam impetravit, adiiciuntur, non potest non inde sequi, anno demum CIOCXXIII naturæ debitum ab eo solutum

solutum esse. Praeter Vdalricum inuenio Hermannum, Patauiensem episcopum, Altmanno viuo, qui pontificis partibus addic^tior erat, quam Henrico IV, imperatori, tolerandum videbatur, suffectum. Quo anno autem prae-
fus dignitatem sit adeptus, ego certo definire non ausim, cum inter veteres ea de re non satis conueniat. In serie enim Patauiensium episcoporum, quam s. r. DVELLIVS ⁴⁰ in-
ter alia prisci aeui miscellanea publici iuris fecit, mors eius ad annum CIOLXXX refertur. Sed potior mihi videtur celeb. HANSIZII ⁴¹ sententia, qui expulsionem Altman-
ni anno CIOLXXXV contigisse scribit. Cui si duo anni adduntur, per quos, testantibus iis, qui VITAM ALTMAN-
NI ⁴² conscriperunt, Hermannus ecclesiam Patauiensem gubernauit, intelligitur, illum anno CIOLXXXVII defun-
ctum esse. Atque in hoc ipsum tempus obitum eius BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ⁴³ refert.

1 WOLFG. LAZIVS de migrat. gent. p. 207. Lutolfus, filius Cu-
nonis, ducis Carinthiae, expulsi ab Henrico IV etc.

2 MEGISERVUS L. VII. c. 32. in fin. p. 745.

3 BVRKHARDVS de casibus monasterii S. Galli c. 7. apud Golda-
stum scriptor. rer. Alemann. p. 71. Rex vero Henricus mox, vt,
ducem Ruodolfum de Rinfelden suum regnum sibi usurpasse,
audiuit, pascha Verona oratus, per Carinthiam, domino Mar-
quardo et filio suo, Lituoldo, duce, sibi ducatum praebentibus, ad
Teutonicas partes redit, Ruodolfum regem, in castro Sigmari-
gen obsecsum, turpiter fugavit.

4 ANONYMVS LEO BIENSIS ad annum 1070. apud Pezium script.
Austriac. T. I. col. 772. Rex vero, interueniente eriam regina,
marchiam Carniolae, praesente duce Ludolfo Karinthiae, obtulit
Siglardo, patriarchae et ecclesiae Aquileiensi.

5 DIPLOMA HENRICI IV Nuerembergae, seu Norimbergae III.
id. Jun. anno 1077. datum, extat apud Vghellum Italiae
saec. T. V. col. 58. Alterum ibidem. Habet illa quoque Luni-
gii codicis Italiae diplomatici T. II. p. 1950. n. 6. et 7.

- 6 DIPLOMA HENRICI IV III. Kal. Mart. 1086. Moguntiae datum extat apud *Balbinum miscell.* histor. regni Bohemiae, decadas I. L. VI. P. I. p. II. n. 9. Ibi imperator inquit: cum assensu laicorum, ducis Boëmorum Wratislai, et fratri eius, Chunradi, ducis Friderici, ducis *Lutoldi*, palatini comitis Rapothonis.
- 7 WALTRAMVS de vnitate ecclesiae conseruanda L. II. apud *Freberum* scriptor. rer. Germ. T. I. p. 309. Eodem anno(1090) defunctus est Luidolfus dux Carentinorum, cum et ipse appeteret regnum contra imperatorem Henrichum.
- 8 ANNALISTA SAXO ad annum 1090. apud *Eccardum* T. I. col. 573.
- 9 ANNALES HILDESHEIMENSES ad annum 1090. apud *Leibnit.* T. I. p. 732.
- 10 LAZIUS L. VI. p. 207. Porro huius Ludolphi seu filios extitisse, seu fratres, credendum est, quos fundatio Gottwicensis coenobii in finibus marchiae Carentanorum, quae modo Stiria dicitur, praedia habuisse ad Trasumae fluminis fontes commemorat, Peregrinum, Harduicum, Rudolfum, Ottocarum, quem in quibusdam annalibus reperi a pontifice regem aduersus Henricum IV. fuisse electum circa annum domini 1050. Quos omnes obiisse sine prole verisimile est, comitibus a Murzthal in locum succendentibus. At vero, quot verba, tot errores, in his LAZII dictis obseruabit, qui vel mediocriter in historiis est versatus.
- 11 MEGISERVUS L. VII. c. 30. p. 735. et c. 36. p. 754.
- 12 BVRKHARDVS de casibus monasterii S. Galli, c. 7. p. 73. Ob hoc etiam in eundem abbatem Vdalricum, nempe San Gallensem, marchio (Bertholdus Zaringensis) maxima inuidia exarsit, quia suus frater Luitoldus aliqua sui iuris, vt sibi visum est, scilicet ducatum Carinthiae, concessione regia, obtinuit, et alter eius frater marchiam Histriam sub eadem concessione possedit.
- 13 MEGISERVUS annal. Carinthiae L. VII. c. 9. p. 693. illas commemorat.
- 14 CONRADVS VRSPERGENSIS in chronico ad annum 1101. p. 181. Longobardorum plebes, permisso Henrici, ducis, Carinthia permeata, dum post Vngaros tergo reliatos etc.

- 15 DIPLOMA extat apud BERNHARDVM PEZIVM anecdotorum
T. V. P. III. p. 283. Omnibus Christi fidelibus - - inno-
tescat, quod Carinthiae dux, Henricus, pro animae suae remedio,
et dilectae coniugis suae Luitkarde, et pro animabus patris et
matris sue, Marchwardi et Liutpirge, fratrumque suorum et alio-
rum parentum - - potestatiua manu sine omni conditione
tradidit etc. etc.
- 16 Paetio, inter Henricum V. et Paschalem II. inita extat, in VITA
PASCHALIS II. apud Muratorium T. III. scriptor. rer. Italic.
p. 360. Pro huius securitatis obseruantia mediatores dabit rex
domino papae principes, quos petiit, id est, Fridericum filium
sororis suae - - Henricum ducem Carinthiae, Bertholdum
filium ducis Bertholdi. Idem narratur in CHRONICO CASSI-
NENSI L. IV. c. 35. apud eundem T. IV. p. 513. Add. Goldast. con-
stit. imperial. T. I. p. 252.
- 17 VITA CONRADI, Salisburgenensis archiepiscopi, c. II. apud
Bernb. Pezium anecdot. T. II. col. 240. Reuersus de Saxonia,
- - reconciliato sibi imperatore, eumque persequi desistente,
cum se crederet pacem habiturum, infinitas aduersitates patieba-
tur a duce Carinthiae, Henrico, fratre patriarchae, Vdalici.
IDEM AVCTOR, ibidem. Venit ergo humiliiter dux, nudis pedi-
bus, laneis induitus, ut absoluere tur, postulans.
- 18 MEGISERVS L. VII. c. 36. p. 756.
- 19 LAZIVS L. VI. p. 210. Meminit eiusdem Otto Frisingensis
L. III. de rebus a Friderico I. gestis, capite vigesimo quinto, et
liber vetus annualium, vbi ita scribitur: Henricus, consobrinus
Henrici IV, caesaris, marchio Carinthiae, obiit anno 1127.
- 20 MARCVS HANSIZIVS Germaniae sacrae T. II. p. 226.
- 21 videatur nota 15.
- 22 LAZIVS L. VI. p. 210, Fertur tres ordine duxisse vxores, Luit-
gardim, Beatricem et Sophiam.
- 23 MEGISERVS L. VI. c. 36. p. 754.
- 24 IDEM I. c. p. 755.
- 25 HANSIZIVS Germaniae sacrae T. II. p. 211. Luipoldus fortis
patri (Ottocaro Stiriae marchioni) successit, Reinense monaste-
rium, seu Rownense, fundauit, tam de suis, quam de comitis

- Waldonis mediis: et factus est heres Luipoldus, marchio, ex testamento possessionam et ministerialium, voluntate Henrici, duces de Eppenstein.
- 26 THOMAS EBENDORFFERVS DE HASELBACH in chronico Austriaco L. I. apud Hieron. *Pezium* script. Austr. T. II. col. 714.
- 27 HUNDIVS in metropoli Salisburgensi T. I. p. 5.
- 28 HANSIZIVS Germaniae sacrae T. II. p. 164. c. 3. in vita Hartwici.
- 29 CHRONICON SALISBURGENSE ad annum 1023. apud H. *Pezium* T. II. col. 340. S. Hartwicus, archiepiscopus, obiit.
- 40 CHRONICON ADMONTENSE ad annum 1023. apud eundem T. II. col. 176.
- 31 MEGISERVVS L. VI. c. 2. p. 681.
- 32 IDEM L. VII. c. 36. p. 755. et p. 763.
- 33 REICHARTVS in breuiario historiae Carinthiae ad annum 1090. p. 134.
- 34 BVRKHARDVS de casibus monasterii S. Galli c. 7. apud *Gol. dastum* script. Alem. T. I. p. 71. Eodem anno (1073) quendam iuuenem sui cognatum, domini Marquardi Carnotensis filium, in abbatem hic (nimurum in monasterio S. Galli) promouit. Ille, Vdalricus nomine, tandem post aliqua annorum curricula etiam Aquileiensis patriarcha efficitur.
- 35 DIPLOMA HENRICI IV, IV id Maii anno 1091. Papiae datum extat apud *Vghellum Italiae sacrae* T. V. col. 59. ibi verba: Nunc igitur recognoscentes iustitiam - - pro dilectione et fidei seruitio Vdalrici, patriarchae, fidelis nostri et dilectissimi consanguinei etc. Extat idem etiam apud *Lunigium*, codicis Ital. diplomat. T. V. col. 1534.
- 36 VGHELLVS Italiae sacrae T. V. col. 58.
- 37 MEGISERVVS annal. Carinth. L. VII. c. 34. p. 749.
- 38 COLETVS in not. ad *Vghellum* I, c. col. 59.

- 39 BVRKHARDVS de casibus monasterii S. Galli c. 7. in fin. apud Goldastum script. rerum Alem. T.I. p. 74. Cum autem (Vdalricus abbas S. Galensis et patriarcha Aquileiensis) hanc ecclesiam et illum per annos XLVI, et tres menses rexisset, plenus dierum viam vniuersae carnis et ipse ingreditur, vnde in ipsius successoris electione maxima hic discordia oritur.
- 40 CATALOGVS EPISCOPORVM PATAVIENSIVM apud Raymundum Duellium miscell. L. II. p. 301. Hermannus, dux Carionum, auctore Henrico IV, exule Altmanno, inuasit sedem Patauiensem, et intra biennium diuina vindicta vitam cum mitra amisiit. Fertur, in extremis poenitentia ducum impii facti venient ab Altmanno demisse petuisse, atque impetravisse. Obiit anno 1080.
- 41 HANSIZIVS Germaniae sacrae T.I. in vita Altmanni c. 32. p. 275. in fin.
- 42 VITA B. ALTMANNI, episcopi Patauiensis, apud Hieron. Pezium script. Austr. T. I. p. 122. - - Altmannus sede sua priuatur. Hermannus, frater ducis Liutoldi, pontificali insula sublimatur. Paucis interiectis p. 123, adiicitur: Hermannus autem vixit per biennium, et sic iudicio Dei vitam cum insula amisiit. Idem dicitur in alia VITA ALTMANNI, apud eundem l. c. p. 148, additur etiam: in hoc maledictio, in ludam prolatam, id est; et episcopatum ejus accipiat alter, citius completa est. Vix enim biennio oves alienas totundit et mulgit, et pastoris nomen, quod falso gerebat, cum vita finiuit.
- 43 BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS ad annum 1087. apud Vrſſiſum T.I. p. 363.

XIII.

Sed ad ipsam ducum Carinthiae seriem reuertor. In hac autem apud LAZIVM, ¹ MEGISERVUM ² et REICHARTVM, ³ inuenio Erbonem, quem, post Henrici Epensteinii mortem, beneficio Lotharii, ducem Carinthiae factum esse, singunt. Illum CONRADVS VRSPERGENSIS ⁴ nobis

nobilissimum de Carinthia principem, et comitem palatinum Bauariae appellat, fratrem Botonis, haud procul Ratisbona defuncti, filium autem comitis palatini, Hartwici, qui frater fuerit Sigebotonis, qui et ipse Sigebotonem quendam filium habuerit. Mater autem Erbonis et Sigebotonis fuisse dicitur Friderim, quae genus ex magni illius Wittekindi sanguine duxit. Scribo haec omnia CONRADI VRSPERGENSIS fide, qua et LAZIVS, vna cum asseclis, haec tenus defendi potest. Hoc autem ex CONRADO probari nequit, a Lothario, caesare, ducem Carinthiae creatum esse Erbonem, qui iam anno post C. N. CICCI, imperante Henrico IV, teste ipso CONRADO VRSPERGENSI, in viuis esse desiit. Qua quidem de caussa minime operae pretium esse videtur, ut in confutanda LAZII opinione hic subsistam.

1 LAZIVS de migration. gent. L. VI. p. 211.

2 MEGISERVS annal. Carinthiae L. VII. c. 49. p. 789.

3 REICHARTVS in breuiario historiae Carinthiae ad ann. 1127. p. 162.

4 CONRADVS VRSPERGENSIS in chronico ad annum 1102. p. 184. anno domini millesimo centesimo secundo Erbo, iam grandaeus, nobilis de Carinthia princeps, et quondam palatinus de Bauaria comes, migravit in domino.

5 IDEM l.c. ad annum 1104.

XIV.

Ad Henricum potius progredior, qui, Henrico Eppensteinio seu Murzthalensi, ut a possessionibus gentis appellatur, anno CICXXVII defuncto, rerum in Carinthia est potitus. Obseruauit hoc ipsum AVENTINVS, eo nomine per injuriam notatus a MEGISERO, qui, Henrico nostro ex serie ducum Carinthiae electo, Engelbertum, fratrem eius, Erboni

Erboni successisse, inauult. At Henrici mentionem facit auctor **VITAE CONRADI**,³ SALISBURGENSIS ARCHI-EPISCOPI, qui, dum Henrici, anno CICXXVII mortui, contentiones cum Conrado, archipraesule Salisburgensi, recenseret, Henricum hunc, de quo nunc agendum est, priori surrogatum esse, addit. Eundem et **ANONYMVS LEOBIENSIS**⁴ commemorat, nec tamen praeterea quicquam adiicit, ut non habeam, quod de Henrico scribam, nisi quod, eodem **BIOGRAPHO** auctore, scio, illum haud ita multo post acceptum ducatum e vita discessisse. Diem emortualem **ANONYMVS** ille non indicat, ac ne annum quidem. Placet igitur, sequi coniecturam, quam cel. **HANSIZIVS**,⁵ affert, minime a vero alienam, Henricum anno CICXXX obiisse. Namque ex Innocentii II, anno demum CICXXX ad pontificiam dignitatem electi, epistola, cuius partem **HANSIZIVS** dedit, perspicitur, superstitem fuisse, eo electo, Henricum, Carinthiae ducem, ac pro ecclesiis quibusdam interdictis absolutionem a praesule Romano petiisse. Cum vero Engelbertus, frater Henrici, adiecit ducis Carinthiae elogio, diploma Lotharii, imperatoris, eodem anno trigesimo Ratisbonae datum,⁶ testis loco subscripsit, non inepte **HANSIZIVS** colligit, Henricum circa hoc ipsum tempus mortuum fuisse. Quod igitur ad Engelbertum attinet, **AVCTOR VITAE CONRADI**,⁷ antea excitatus, testatur, eum fuisse fratrem Henrici, antea nominati, ac in ducatu etiam successorem. Ceterum, quam diu prouiciam rexerit, ego pro certo affirmare nequeo. Inuenio enim diploma ab Vdalrico, filio Engelberti ducis, anno CICXXXV subsignatum.⁸ Idem Vdalricus etiam alias Conradi III litteras⁹ anno CICXXXVIII subnotauit. Et tamen **HANSIZIVS**¹⁰ Engelbertum anno demum CICXLII prid. id April. decesse statuit, **AVENTINI**, et MSCti codicis, auctoritate fultus. Parum itaque

itaque abest, quin Vdalricum, viuo parente, regimen capes-
 suisse credam, posteaquam hic, deposita Carinthiae procu-
 ratione, in monasterium se abdidisset. **SVLGERVS**¹¹ sal-
 tem, Engelbertum, ducem, monasticam vitam sponte dele-
 gisse, testatur. Et **ADMONTENSE** quoque **NECROLO-**
GIVM,¹² Engelbertum, ex duce monachum, pridie Id.
 April. mortuum esse, docet. Sed quo anno, a scriptore
 non est adiectum. Denuo igitur est, quod eruditis Carenta-
 nis discutiendum, et ad liquidum perducendum, relinquam.
 Nec inutilis erit opera, quam quis in coniuge Engelberti,
 ab obliuione vindicanda, collocabit. Recentiores, ac in his
MEGISERVVS¹³ illam Utam nominant, Gebhardi, Sulzba-
 censis comitis, filiam, quam tamen in veterum scriptis
 non obseruauit. Alter autem ex Henrici, Carinthiae ducis, fra-
 tribus fuit Bernhardus, Carinthiae comes, ab **ANONYMO**,¹⁴
 saepius adducto, propter inimicitias in Conradum, Salis-
 burgensem archiepiscopum, reprehensus. Sed comme-
 morant eum etiam alii, et ob coenobium Victoriense fun-
 datum illum celebrat **ANONYMVS LEOBIENSIS**¹⁵.
 Praeterea inter proceres etiam nominatur, qui Conrado III,
 caesari, expeditionem sacram in Palaestinam facienti, adfue-
 runt. Namque Bernhardum nostrum tunc cruce signa-
 tum esse, praeter ceteros **OTTO FRISINGENSIS**¹⁶ me-
 minit. **ANONYMVS** autem **LEOBIENSIS**¹⁷ iter sacrum,
 vna cum reliquis principibus ab eo suscepsum, testatur,
 illumque anno **CIOCXLVII** in ipsa Iudea defecisse, addit,
CHRONOGRAPHO REICHERSBERGENSI¹⁸ adstipu-
 lante. Coniux huic, si **HASELBACHIO**¹⁹ fides est, fuit
 Kunigundis, amica seu cognata, aut plane amita, Ottocari,
 Stiriae marchionis, quae etiam in **CODICE DIPLOMATICO**
ADMONTENSI²⁰ occurrit. De prole vero Bernhardi mihi
 ex veteribus non constat, utut **MEGISERVVS**²¹ liberos enu-
 meret. Verum improlem illum suisse, exinde colligo, quod
 Bern-

Bernhardi hereditatem ad Stiriae marchionem peruenisse lego. Hoc enim HASELBACHIVS ²² testatur, ni fallor, auctoritate usus ipsius fragmenti genealogici veteris, quod S. R. HANSIZIVS ²³ in lucem produxit. Non autem vero videtur simile, Bernhardum exheredes facturum fuisse liberos, praelato affine, si quos mortis tempore habuisset.

1 AVENTINVS annalium Boicorum L. VI. c. 5. n. 24. p. 610.

2 MEGISERVVS L. VII. c. 52. p. 796.

3 VITA CONRADI archiepiscopi Salisburgensis c. 12. apud Bernhardum Pezium anecdote. T. II. P. III. p. 242. Post hunc Henricum, (nimurum, qui anno 1127. mortuus est,) persecutores habuit alium Henricum, qui iunior appellatus, et, priori Henrico mortuo, ducatum Carinthiae obtinuit, et fratres eius Engelbertum et Bernhardum, comites. Sed Henricus, festina morte sublatus, Engelberto, fratri, crudelitatem, quam contra ecclesiam suscitauerat, persequendam cum ducatu reliquit.

4 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1139. apud H. Pezium script. Austr. T. I. col. 781. vid. nota 15.

5 HANSIZIVS Germaniae sacrae T. II. p. 227.

6 DIPLOMA LOTHARII, imperatoris, anno 1130. indict. VII, Ratisbonae datum, extat apud Hundium metropol. Salisburg. T. III. p. 303.

7 VITA CONRADI, Salisburg. archiepiscopi, l. c. vid. nota 3.

8 DIPLOMA LOTHARII, imperatoris, XVI. Kal. April. 1130. Bambergae ab Vdalrico, duce, filio Engelberti, ducis, subscriptum, extat apud TOLLNERVM. in codice diplomatico, historiae palatinæ adiecto. n. 47. p. 42.

9 DIPLOMA CONRADI III, Bambergae anno 1138. datum, ab Vdalrico, duce Carinthiae, subscriptum, extat in HERRGOTTICODICE diplomatico, genealogiae Austriacæ adiecto, T. II. P. I. n. 214 p. 158. seq.

10 HANSIZIVS Germaniae sacrae. T. II. p. 242.

- II ARSENIVS SVLGERVS annal. Zwifaltenium P. I. ad an. 1091.
p. 22.
- 12 NECROLOGIVM ADMONTENSE apud *Pezium* script. Austr.
T. II. col. 202.
- 13 MEGISERVVS annal. Carinthiae L. VII. c. 52. p. 796.
- 14 VITA CONRADI Salisburg. l. c. vid. nota 3.
- 15 ANONYMVVS LEOBIENSIS ad annum 1139. apud *H. Pezium*
T. I. col. 781. Bernhardus, comes inclytus, frater Henrici,
ducis Karinthiae, fundauit Victoriente monasterium in Ka-
rinthia.
- 16 OTTO FRISINGENSIS de gestis Friderici I. L. I. c. 40. Sed
et dux Boëmorum Labeslaus, et Styrensis marchio Odoacer, et,
Carinthiae illustris comes, Bernardus - - cruces accepe-
runt.
- 17 ANONYMVVS LEOBIENSIS ad annum 1144. col. 783. et ad an-
num 1147. col. 785. Eodem anno Chunradus rex, mortuo Bern-
hardo, comite, in partibus illis - - per Graeciam rediit.
- 18 CHRONICON REICHERSBERGENSE ad annum 1147. apud
Ludewig. scriptor. Bamberg. T. II. p. 261. vbi et Bernardus, co-
mes Carinthiae, occubuit.
- 19 TH. EBENDORFFERVS AB HASELBACH L. II. apud *Pezium*
script. Austriae. T. II. p. 715. Ottakir, succedens, ex testatis auctus
est. Nam Ottonis, comitis de Naym, et Bernhardi, comitis Ka-
rinthiae, qui amicam eius Kunigundam in coniugio habebat - -
possessiones ei acreuerant.
- 20 CODEX DIPLOMATICVS ADMONTENSIS apud *Bernh. Pe-*
zium anecdote. T. III. P. III. p. 795. n. 123. Notum sit - -
quilater domina Chunigundis, comitissa de Karinthia, delega-
uit etc.
- 21 MEGISERVVS in tabula genealogica, annalibus Carinthiae post
pag. 722. inserta.
- 22 TH. EBENDORFFER. AB HASELBACH. l. c. vid. not. 19.
- 23 MARCVS HANSIZIVS Germaniae sacrae T. II. in vita Eber-
hardi c. 59. p. 275. Ibi verba veteris fragmenti genealogici:
obii Luipoldus marchio anno domini 1129. Ottachyr, patri suo
succedens, confortatus et eleuatus est. Nam praeter alia plura
rium principum praedia, municiones ac ministeriales ei per te-
stamen-

stamentum acreuerunt, scilicet, Ottonis comitis de Naym, et Bernhardi, comitis de Karynthia, qui amitam ipsius, Kunigundam, in coniugio habebat.

XV.

De tribus fratribus, Henrico, Engelberto, ac Bernardo, dedi, quae in promtu fuerunt. Adderem quaedam de parentibus eorum, et maioribus, qui comites Sponheimenses a recentioribus, quotquot consului, omnibus dicuntur, testibus tamen, quorum fide haec nitantur, non nominatis. Fidem igitur iis adhibeat, cui facile est, credere scriptoribus, longe ab aevo, de quo testimonium perhibent, remotis, ac, quod maximum est, discordibus in attestatis. AVENTINVS ¹ enim Hartwico, Salisburgensi archiepiscopo, supra dicto, adscribit fratrem Fridericum, eique ex Richarda filios, Engelbertum et Sigfridum, ac ex priore nepotem Engelbertum, suisse ait. Ab hoc monasterium S. Paulli fundatum, bellumque cum Henrico, Carinthiae duce, ex Murzthalensi gente nouissimo, gestum, liberos denique ex Hedwiga, coniuge, anno c. 15 c. 11 defuncta, Henricum, Carinthiae ducem improlem, Engelbertum, fratribus in ducatu successorem, Hartwicum, Magdeburgensem archiepiscopum, Conradum, et Sigfridum, procreatatos esse. AVVENTINVM in his omnibus sequitur MEGISERVVS ² in tabula, vtut in ipso libro ab AVENTINO, et se ipso, subinde dissenniat. Sed ab utroque alienus est LAZIVS, ³ qui Fridericum, comitem Sponheimensem, aequalem facit Henrico Murzthalensi, illumque ex huius filia Richarda filium Engelbertum generasse tradit. Verum ab hoc etiam discessio nem facit REICHARTVS, ⁴ quando generum Henrici nominat Sigfridum, monasterii S. Paulli fundatorem, ac Engelberti, e Sponheimensi gente primi Carinthiae ducis, pa-

trem, Henrici, anno C I O C X L VI in ducatu suffecti, atum, historia admodum invita. Neque omnino cum superioribus conueniunt, quae a VALVASORE³ consignata leguntur.

I AVENTINVS annal. Boiorum L. VI. c. 5. n. 24. p. 610.

2 MEGISERVVS in annal. Carinth. tabulam habet p. 772.

3 LAZIVS L. VI. p. 212.

4 REICHARTVS in breuiario historiae Carinthiae ad annum 1091 p. 134 et p. 169.

5 IO. WEICHARD VALVASOR in der Beschreibung des Erzherzogthums Kernthen. p. 165.

XVI

Sed missis his, quae a me explanari non possunt, ad familiam reuertor Engelberti, cui ex vxore, Vta, filius Vdalricus fuisse perhibetur, non sine ratione. Mentionem eius iam supra feci, ac diplomata Lotharii et Conradi III, caesorum, anno C I O X X X V et X X X V I I I exarata, adduxi, quibus Vdalricus, dux Carinthiae, testis subscriptis. Occurrit praeterea in litteris Conradi, Salisburgensis archiepiscopi, quas anno C I O C X L I I scriptas esse, H V N D I V S² suspicatur. Est etiam in CODICE DIPLOMATICO AD MONTENSI³ charta d. XII Maii C I O C X L I V data, in qua Vdalricus testis commemoratur. Denique cel. HANSIZIVS⁴ ex CHRONICO REICHERSBERGENSI⁵ codicillum adducit, in quo ipso Vdalrici nostri nomen inter testes apparet. Prouoco ad haec documenta eo lubentius, quoniam in iis etiam Henricus, Vdalrici frater, commemoratur, ab AVENTINO⁶ filius Vdalrici falso nominatus. Quis tamen ex ambobus natu maior fuerit, ego definire non possum. MEGISERVVS⁷ Henrico primas tribuit.

Eum-

Eumque iuuare videntur diplomata, ab Henrico, et fratre, Vdalrico, subscripta, in quibus priorem locum obtinet Henricus. Sed ego multis exemplis comprobare ausim, ad aetatem fratrum indagandam haec non sufficere. Illud tamen mihi ad fidem probabile videtur, ante Henricum decepsisse Vdalricum, vtut hunc anno ¹³ CICLI superstitem fuisse, subscriptio diplomatis Friderici I, imperatoris, prodat. Etenim CHRONICON AVGVSTENSE ⁹ Henrico, anno ¹⁰ CICLXI defuncto, successisse, docet Hermannum, fratrem, nulla Vdalrici facta mentione. Verum ego hoc, quoniam evidentiora argumenta desunt, nunc sepono. Ad Henricum me verto, a quo, praeter diplomata, fratre comite, subnotata, litteras Conradi III, caesaris, ¹⁰ anno ¹¹ CICXLVIII subscriptas esse, animaduerto. Laudatur etiam apud ANONYMVM LEOBIENSEM ¹¹ dux Carinthiae, qui anno ¹² CICLII cum Friderico I, caesare, fuit in Italia. Vtrum autem Henricus intelligendus sit, an Vdalricus, an plane Hermannus, ego quidem ignoro. Magis est exploratum, expeditioni, quam Fridericus anno ¹³ CICLIV mense Octobri in Italiam suscepit, Henricum interfuisse, ac litteras Eberhardi, Bambergensis episcopi ¹² in territorio Brixensi scriptas, vna cum aliis testibus subscriptione confirmasse. Indeque eum anno ¹⁴ CICLV rediisse, auctor est OTTO FRISINGENSIS. ¹⁵ Posthaec anno ¹⁵ CICLVI in comitiis Ratisbonensibus praesens fuit, ac diploma, ¹⁶ in memoriam ducatus Austriae constituti, et a Bauaria exempti, cum aliis pluribus subscriptis. Mox anno ¹⁷ CICLXVIII caesarem denuo in Italiam secutus est, teste RADEVICO, ¹⁸ et, quod ex documento apud GOLDASTVM ¹⁹ apparet, inter ordines reliquos, in campis Roncaliensibus congregatos, praefecto fuit. Atque ex eo tempore vna cum caesare, per aliquot annos in Italia morante, ibi haesitasse videtur. Diplomata saltem anno ²⁰ CICLX et LXI a Friderico

derico, caesare, exarata, ¹⁷ nomen Henrici nostri continent, adeoque indicium faciunt, illum ab imperatore non discessisse. Inde etiam, auctoRIBUS R A D E V I C O ¹⁸ et A N O N Y M O L E O B I E N S I , ¹⁹ a Friderico I ad aulam Constantinopolitanam ablegatus est, ut de iniuriis, a Wilhelmo, Rogerii filio, imperio illatis, conquereretur. Quam legationem cum optimus princeps obiisset, anno c i c l x i in Ionio mari periit id quod in CHRONICIS AVGUSTENSI ²⁰ et AD MONTENSI ²¹ narratur. Successorem habuit Hermannum, quem, MEGISERVS, ²² Ulrici filium primogenitum fuisse, putat. Sed ego discedo ab hac eius opinione, AVGUSTENSIS CHRONICI ²³ auctoritate inductus, in quo Hermannus Henrici frater appellatur. Adstipulatur charta ²⁴ donationis, a Wernhero de Caesareo factae, quam anno c i c l v i i Hermannus subscriptis, adiectis nomini verbis: frater ducis Carinthiae. Henricum autem anno c i c l v i i Carinthiam rexisse, ex iis, quae ante dicta fuerunt, manifestum esse, puto. Eodem Henrico socio, Hermannus in CODICE DIPLOMATICO AD MONTENSI ²⁵ occurrit, et frater Henrici, ducis Carinthiae, appellatur. Solus autem Hermannus nominatur a WILLERMO, TYRIO ARCHIEPISCOPO, ²⁶ et vna cum caesare, Conrado III, in Palaestina fuisse, perhibetur, nomine etiam marchionis Veronensis designatur. Ex quo ne quis forte colligat, alium Hermannum intelligendum esse, ad diploma quoddam, ab VGHELLO ²⁷ propositum, prouoco, in quo Hermannus noster marchio Veronensis et dux de Carentana vocatur. Huic documento adderem pacem Constantiae, ²⁸ in qua eadem Hermanno nomina adscripta leguntur, nisi annorum ratio obstaret. Nec aliena quidem haec marchionis Veronensis appellatio videri potest iis, qui norunt, marchiam Veronensem iam Ottonis, Carinthiae ducis, temporibus, qui, Henrico S. imperante, vixit,

con-

coniunctas cum Carinthia rationes habuisse. Meminit eiusdem Hermanni HOFFMANNVS,²⁹ illumque cum Hermanno Bambergensi episcopo de iurisdictione in praediis quibusdam, ad Bambergensem ecclesiam spectantibus, anno CICLXXVI transegisse, scribit. De qua quidem pactione diploma, in rei gestae fidem exaratum, etiam hodie extat, ab ill. LVDEWIGIO,³⁰ publici iuris factum. Mortuum esse Hermannum nostrum anno CICLXXXI, in CHRONICIS AVSTRALI³¹ et AVGUSTENSI,³² relatum video. Coniuges autem habuit duas, si vera sunt, quae MEGISERVVS³³ tradit. Prior Maria fuit, Sobeslai I, Bohemiae ducis, filia, vidua Leopoldi, marchionis Austriae, anno CICXLII defuncti, BALBINO³⁴ teste, anno CICXLIII, ipsi nupta, quod et HANSIZIVS,³⁵ nemine tamen ex veteribus adducto, affirmat. In cuius mortuae locum cooptasse dicitur Agnetem, patre Henrico, Austriae duce, natam, ac Stephani, Regis Hungariae, antea defuncti, vxorem. Sed quo auctore haec a MEGISERO scripta sint, ego ignoro.

1 Extant in HVNDII metropoli Salisburgensi T. III. p. 159. datae X. Kal. Nou. indiēt. VIII. Subscripterunt Henricus, dux Carinthiae, et frater eius, Vdalrich.

2 HVNDIVS l. c. p. 155.

3 CODEX DIPLOMATICVS ADMONTENSIS n. 33. apud E. Pezium anecdot. T. III. P. III. p. 699.

4 MARCVS HANSIZIVS Germaniae sacrae T. II. p. 242.

5 CHRONOGRAPHVS REICHESBERGENSIS ad annum 1244. col. 255. Ibi Henricus, dux Karinthiae, et frater eius, Vdalrich.

6 AVENTINVS annal. Boicor. L. VI. c. 5. n. 24. p. 610.

7 MEGISERVVS annal. Carinth. L. VII. c. 55. n. 799.

- 8 DIPLOMA FRIDERICI I. imp. anno 1153. datum, extat apud Ludewig reliquiar. MSCt. T. XI. p. 553. Subscriptis Othalricus, dux Karinthiae.
- 9 CHRONICON AVGUSTENSE ad annum 1161. apud Freherum T.I. p. 511, vid. nota 20.
- 10 DIPLOMA CONRADI III. caesaris, S. Viti in Carinthia prid. id. Maii n. 48. datum habet MEGISERVVS annal. Carinthiae L.VII. c. 54. p. 799. ibi testis Henricus, dux Carinthiae.
- 11 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1152. apud H. Pezium script. Austr. T. I. col. 786.
- 12 LITTERAE EBERHARDI, in territorio Brixiensi XIII. Kal. Dec. 1054 datae, extant apud Ludewig. script. Bambergens. T. II. p. 263. ibi testis Henricus, dux Carentanus.
- 13 OTTO FRISINGENSIS de gestis Friderici I. L. II. c. 25. p. 466. Igitur, signo dato, cunctis ad patriam licentia repedandi conceditur. - - Inter quos primates fuere, Peregrinus, Aquileiensis patriarcha - - Henricus, Carentanorum dux, etc.
- 14 DIPLOMA FRIDERICI I. Ratisbonae XV. Kal. Octobr. anni 1156. datum extat in Lunigii archiuo imperii, part. spec. cont. I. sect. 4. p. 4 et in Schilteri collect. scriptor. rer. Germ. inter documenta p. i.
- 15 RADEVICVS de gestis Friderici I. L. I. c. 21. apud Virgilius T. I. p. 491. Dux Austriae, Henricus, et item Henticus, dux Carentanus, - - per canalem et forum Iulii ac marchiam Veronensem (in Italiam iuerunt.)
- 16 GOLDASTVS constitut. imperial. T. III. p. 335.
- 17 EXTAT DIPLOMA FRIDERICI I. d. XV. Kal. Mai. 1160. Pa- piae in generali concilio post destructionem Cremae datum apud Vghellum Italiae sacrae T. V. col. 152. Aliud d. XXX. De- cembr. 1160. in Lunigii codice Italiae diplomatico T. I. col. 391. n. 2. Tertium, ante portas ciuitatis Mediolanensis tempore va- stationis III. Non. Jun. 1161. datum, apud Hundium in metrop. Salisburg. T. I. p. 248.

- 18 R A D E V I C V S de gestis Friderici I. L. II. c. 74. p. 556. Ad imperatorem quoque Graecorum, Manuel, nuncios dirigit, videlicet, Henricum, ducem Carentanum, fortem et exercitatum in bellicis consiliis virum etc.
- 19 A N O N Y M V S L E O B I E N S I S ad annum 1168. apud *Pezium* script. Austr. T. I. p. 792. Interea Fridericus, imperator praedictus, ducem Carinthiae, ducem strenuum, postea Henricum, ducem Austriae, cum viris dirigit ad imperatorem Graecorum, quia Wilhelmus, filius Rogerii, in Apulia imperium multipliciter molestauit.
- 20 C H R O N I C O N A V G V S T E N S E ad annum 1161. apud *Freherum* T. I. p. 511. Hainricus, dux Carinthiae, periit in Ionio mari. Hermannus, frater eius, ducatus gerit.
- 21 C H R O N I C O N A D M O N T E N S E ad annum 1161. apud *H. Pezium* script. Austr. T. II. col. 188. Henricus, dux Carinthiae, periit in Ionio mari.
- 22 M E G I S E R V S L. VIII. c. 1. p. 832.
- 23 C H R O N I C O N A V G V S T E N S E ad annum 1161. p. 511. vid. nota 20.
- 24 Extat charta, Aquileiae anno 1158. data, in *Vghelli Italia sacra* T. V. col. 64. Subscriptis Hermannus, frater ducis de Karinthia.
- 25 C O D E X D I P L O M A T I C V S A D M O N T E N S I S n. 33. apud *Bernh. Pezium* anecdote. T. III. P. III. p. 714. ibi: Henricus, dux de Carinthia, et Hermannus, frater ducis.
- 26 W I L L E R M V S, T Y R I V S A R C H I E R I S C O P V S, in historia expeditionis sacrae L. VII. c. 1. apud *Bongarfum* in gestis Dei per Francos p. 910. ibi: Hermannus, prouinciae Veronensis marchio.
- 27 V G H E L L V S Italiae sacrae T. II. col. 372. charta data est XVI. Kal. Mai. 1160. ibi testis Hermannus, marchio Veronensis, dux de Carentana.
- 28 P A X C O N S T A N T I A E extat apud *Crusium* annal. Sueviae P. II. L. XI. p. 482.

- 29 HOFFMANNVS annal. Bamberg. L. III. apud *Ludervig.* script.
Bamberg. T. I. p. 137.
- 30 DIPLOMA anno 1176. datum extat apud *Ludewig* l. c. T. II.
p. 1127. item in *Lunigii* spicilegio ecclesiastico. P. II. p. 26.
- 31 CHRONICON AVSTRALE ad annum 1181. apud *Freherum* T. I.
p. 447. Hermannus, dux Carinthiae, obiit.
- 32 CHRONICON AVGUSTENSE ad annum 1181. apud *eundem*
T. I. p. 513.
- 33 MEGISERVVS L. VIII. c. i. p. 832.
- 34 BOHVSLAVS BALBINVS miscell. regni Bohemiae L. VII.
scđt. I. c. 28. p. 807. lit. g. g. g.
- 35 HANSIZIVS Germaniae sacrae T. II. p. 289. c. 15. in fine.

XVII.

Haud magis expeditum est, qua demum Hermanni coniuge geniti fuerint Vlricus et Bernhardus, filii, quos illi fuisse ANONYMVS LEOBIENSIS ¹ testatur. His etiam filiam, Geutam nomine, Przemislawo, Bohemiae Regi, nuptam, MEGISERVVS, ² nullo tamen teste nominato, addit. Interim id ex CHRONICO ADMONTENSI ³ satis certum est, Hermanno, anno 1182 mortuo, Vlricum filium successisse, admodum iuuenem. Eodemque anno in comitiis Erfordiensibus inuestituram a Friderico I, imperatore, accepisse, CHRONICI AVSTRIACI ⁴ auctor testatur. Ceterum, quod de rebus, ab Vlrico gestis, veteres consignarint, non inuenio. At, nisi omnis fallor, istius silentii caufsa a lepra, qua afflicitus fuit, est repetenda, quo quippe morbo a rebus agendis fuit avocatus. Attamen comitiis, anno 1190 Ratisbonae habitis, illum interfuisse, docet diploma, a cel. HANSIZIO ⁵ adductum. Habet et litteras, Vlrici, ac Bernhardi, fratris, nomine anno 1190 exaratas, MEGISERVVS, ⁶ quo ipso narrante, Vlricus

ricus, morbi ingrauescentis taedio inductus, regimen pro-
uinciae tradidit Bernhardo, fratri, nec ita multo post anno
c*1552* diem supremum obiit. Igitur in gubernanda Ca-
rinthia Viricum exceptit Bernhardus, eo nomine maximo-
pere laudandus, quod genti Augustae Stauffensi in calamiti-
tibus, quas a Romanis pontificibus, male in eam animatis,
perpessa est, fidelem ac utilem operam praestitit, ac in
partibus Philippi ac Friderici II, caesarum, miseris modis
vexatorum, constanter permanit. Hinc praesto fuisse
Bernhardum Philippo, caesari, anno c*1557* Norimber-
gae versanti, ex diplomatis Philippi ⁷ intelligitur, quae
a Bernhardo nostro sunt subscripta. Nec minus addictus
fuit Friderico II. Qui cum anno c*1557* comitia
Norimbergae habuit, Bernhardus inter ceteros principes
curandae rei publicae causa aduenit, id quod denuo ex pu-
blicis documentis, ⁸ quae nomen Bernhardi, inter alios
testes expressum, continent, apparet. Atque etiam sub-
sequentibus annis XVIII et XVIII Bernhardum in co-
mitatu Friderici fuisse, chartae, ⁹ ab ipso subscriptae, osten-
dunt. Postea litem habuit cum Eckberto, Bambergensi
episcopo, ope Eberhardi, Salisburgensis archiepiscopi, et
Leopoldi, Austriae ducis, compositam. ¹⁰ Interiecto ali-
quot annorum spatio, anno c*1560* vna cum Frideri-
co II, imperatore, Italiam petiit, nouumque fidei documen-
tum edidit, quando inter eos principes non ultimum lo-
cum tenuit, qui in concordia, imperatorem inter et ponti-
ficem Romanum restauranda, operam collocarunt. Fe-
stantur de Bernhardi in Fridericum II studio ANONYMVS
LEQBIENSIS ¹¹ et CHRONICI NEVBVRGENSIS ¹² au-
tor. Documento est ipsum pacis, tunc initae, instrumen-
tum. ¹³ Plura denique imperatoris diplomata, ¹⁴ eo tem-
pore conscripta, fidem faciunt, Bernhardum individuum
caesaris comitem fuisse. Atque eam ipsam ob causam

minime vereor, ne temeritatis nomine a quoquam reprehendar, quod in litteris pacis, inter Fridericum II et pontificem R. factae, lacunam, in qua ducis Carinthiae nomen deficit, voce: Bernhardus, supplendum esse censeo. Nam aliis, qui ducis Carinthiae appellatione tunc quidem uti potuerit, non extat. Haec est noster in Italia apud caesarem etiam anno ¹⁵ CCCCXXXI et XXXII, id quod publicarum litterarum testimonio ¹⁶ manifestum est. Anno autem ¹⁷ CCCCXXXIII domi habuit, quod ageret. Testantibus enim CHRONOGRAPHO NEVBVRGENSI ¹⁸ et ANONYMO LEOBIENSI ¹⁹ bellum cum episcopo Bambergensi gessit, non quidem satis felici armorum successu, at euentu tanto feliciore, quanto minus diuturnum fuisse, exinde apparet, quod utriusque belligerantes nuptiis Henrici illustris, marchionis Misniae, ac Constantiae, Austriae principis, anno ²⁰ CCCCXXXIV celebratis, interfuisse, a CHRONOGRAPHIS, ADMONTENSIBUS ²¹ et NEVBVRGENSI ²² itemque LEOBIENSI ²³ narrantur. Anno, qui hunc exceptit, ²⁴ CCCCXXXV Bernhardum nostrum ad caesarem rediisse, eumque, huc et illuc proficiscentem, secutum esse, documenta, ²⁵ apud nouum forum in Stiria, Brixiae, et Hanouiae, ipso praesente, edita, produnt. Eadem caesari anno proximo Viennae adfuit, ²⁶ et ²⁷ CCCCXXXVIII diploma, a Friderico Pauiae datum, subnotauit. Denique anno ²⁸ CCCCXLIX et LI illum in Carinthia egisse, diplomata, apud S. Vitum scripta, et a s. R. D. BERNHARDO PEZIO ²⁹ publici juris facta, declarant. De actis reliquis in veterum scriptis relatum inuenio nihil. Neque, latius disquirere, nunc vacat. Illud vnicum igitur addo, Bernhardum mense Februario anno ³⁰ CCLVI decepisse, si verum est, quod in CHRONICO AVGUSTENSI ³¹ narratur. Certe ad eundem annum mortem eius referunt CONTINVATOR MARTINI POLONI ³² et CHRONOGRAPHVS SALIS-

BVRGENSIS.²⁷ Solus ANONYMVS LEOBIENSIS²⁸ illum ad annum CIOCTLVII superstitem fuisse, tradit. In eo tamen cum superioribus scriptoribus facit, quod, Bernhardum in monasterio S. Paulli Lauantino sepultum esse, refert. Ex leuta, vxore, tres filios sustulit Bernhardus, Vlricum nempe, Bernhardum, et Philippum, de quibus postea latius dicendum est. Ieutam vero et MARTINI POLONI CONTINVATOR,²⁹ et ANONYMVS LEOBIENSIS³⁰ Bohemam fuisse scribunt. Ac ille quidem Bohemiae regis filiam, hic Ottocari, itidem regis Bohemiae, amicam, seu, ut legendum puto, amitam, appellat, maiore in re ipsa, quam in verbis, consensione. Nam Przimislao Ottocaro I, Ottocari, anno CIOCLXXVIII in praelio interfecti, auo, fuisse filiam, quae ducem Carinthiae maritum habuerit, et ex eo Vlricum, Carinthiae venditorem, genuerit, etiam BALBINVS³¹ ait, vtut in eo ab auctori- bus, antea memoratis, descedat, quod Bernardo Carentano Vlrici nomen tribuit, Ieutam autem Bohemam Bozisla- uam dictam esse, scribit.

I ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1168. apud H. Pezium scriptor. Austria. T. I. col. 792. Hermannus, dux Karinthiae, Vlricum genuit ei Bernhardum.

2 MEGISERVVS L. VIII. c. i. p. 832.

3 CHRONICON MONASTERII ADMONTENSIS ad annum 1181. apud H. Pezium T. II. col. 190. Hermannus, dux Carinthiae, obiit, cui filius Oulricus, puer, successit.

4 CHRONICON AVSTRIACVM ad annum 1181. apud eundem T. I. col. 563. Hermannus, dux Karinthiae, obiit, eius filius, et filius Liupoldi, ducis Austriae, ducatus patrum suorum in Erbfordiensis curia ab imperatore investiuntur.

5 HANSIZIVS Germaniae sacrae T. I. p. 338. ibi diploma, in quo te- sis commemoratur Vlricus, dux Karinthiae.

- 6 MEGISERVUS L. VII. c. 73. p. 824.
- 7 DIPLOMA PHILIPPI Suevi, anno 1207. IV. Non. Nou. Norimbergae exaratum, extat apud *Lunig.* spicil. eccl. T. II. p. 780. Aliud apud *Hansizium* T. I. Germ. sacrae p. 351. IV. Non. Nou. 1207. datum. it, apud *Hundium* metrop. Salisburg. T.I. p. 252.
- 8 DIPLOMA FRIDERICI II. Norimbergae d. XII. Kal. Febr. 1217. scriptum, extat apud *Hundium*, metrop. Salisburg. T. I. p. 254. et apud *Hansizium* Germaniae sacrae T. I. p. 363.
- 9 DIPLOMA FRIDERICI II, XII. Kal. Febr. 1218. Norimbergae scriptum, extat apud *Hundium* metrop. T. I. p. 259.
- DIPLOMA EIVSDEM, Norimbergae d. VI. Id. Nou. 1219. datum, extat apud *Goldastum* Constit. imperial. T. I. p. 292. et apud *Tollerum* in codice dipl. hist. palat. n. 80. p. 68.
- 10 DIPLOMA, in fidem rei gestae Graecii XV. Kal. Decembr. 1227. scriptum, extat apud *Ludewig*, scriptor. Bamberg. T. I. p. 1142. et apud *Lunig* spicil. eccl. T. II. p. 30.
- 11 ANONYMVS LEORIENSIS ad annum 1230. apud *Pezium* script. Austr. T. I. col. 809.
- 12 CHRONICON CLAVSTRO-NEOBVRGENSE ad annum 1230. apud eundem T. I. col. 454.
- 13 Extat illud apud *Vghellum*, Italiae sacrae T. X. inter anecdota in CHRONICO RICHARDI DE S. GERMANO col. 216. it. in *Lunig* cod. Ital. diplomat. T. II. col. 875. n. 20.
- 14 DIPLOMA FRIDERICI II, apud *Fogiam* mense Aprili 1230. scriptum, extat apud *Hundium* metrop. Salisb. T. III. p. 276. aliud apud S. Germanum mense Aug. 1230. scriptum, apud *Hansizium* Germaniae sacrae T. II. p. 321. Tertium apud Anagniam mense Aug. an. 1230. apud *Lunig*. spicil. eccl. cont. III. p. 768. Quartum prope Anagniam mense Septembr. 1230. apud *Hundium* l. c. T. I. p. no.
- 15 DIPLOMA FRIDERICI II. Rauennæ mense Ian. 1231. datum extat im grundlichem Bericht von der Landes - Furstlichen Erzbischöflichen Hoch und Gerechtigkeit über die Stadt Bremen c. 8. aliud ibidem eodem anno mense Ian. in *Lunig.* cod.

cod. Ital. diplom. p. 1579. n. 73. Diploma eiusdem, Rauennae mense Ian. 1231. datum, apud *Hundium* l. c. T. III. p. 179. Alia duo in foro Iulii mense Maio 1232. et apud portum Naonis apud *Schaunatum* in codice diplomatico historiae Wormatiensi adiuncto n. 121. et 122. p. III. et p. 113. Denique apud portum Naonis mense Maio 1232. datum exstat apud *Lunig* spicil. eccl. T. II. in append. p. 98.

16 CHRONICON CLAVSTRO NEVBVRGENSE ad annum 1233.

apud *H. Pezium* l. c. p. 455. Episcopus Babenbergen sis et dux Karinthiae rapinis et incendio se mutuo vastauerunt, sed in omnibus episcopus superior semper exitit, ciuitates et castella ducis concusit et destruxit.

17 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1233. apud eundem T. I. p. 81.

18 CHRONICON ADMONTENSE ad annum 1234. apud eundem T. II. col. 197.

19 CHRONICON NEVBVRGENSE ad annum 1234. apud eundem T. I. col. 456.

20 ANONYMVS LEOBIENSIS apud eundem T. I. p. 81.

21 DIPLOMA FRIDERICI II, apud nouum forum in Stiria mense Maio 1235. exaratum, exstat apud *B. Pezium* anecd. T. III. P. III. in cod. dipl. Admont. p. 682. Aliud Brixiae mense Aug. 1235. apud *Ludewig* reliq. MSCt. T. II. p. 217. n. 19. Tertium apud eundem l. c. p. 221. n. 21. Hanouiae mense Aug. 1235. scrip-
tum.

22 Testis est CHARTA Viennae mense Ian. 1236. alia ibid. mense Martio exarata apud *B. Pezium* anecd. T. V. P. II. p. 289. el. 290.

23 Mentionem huius diplomatis facit CRVSIUS annal. Sueviae. P. III. L. I. p. 44.

24 B. PEZIVS anecd. T. V. P. II. p. 100.

25 CHRONICON AVGVSTENSE ad an. 1256. apud *Freher*. T. I. scripr. rer. Germ. p. 531. In ipso mense (Februario) Bernhardus, dux Karinthiae, obiit. Ulricus filius ei succedit.

26 CONTINVATOR MARTINI POLONI ad annum 1256. apud Eccardum script. rer. Germ. T. I. col. 1422. Eodem tempore inclytus dux Karinthiae debitum naturae persoluit, et in monte S. Paulli de Lauentina cum pristinis ducibus sepelitur, relictis duobus filiis, ex filia regis Bohemiae progenitis, Vlrico et Philippo. Vlricus autem in ducatum Karinthiae et dominium Kariolae successit.

27 CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ad annum 1256. apud H. Pezium script. Austr. T. I. col. 364.

28 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1257. apud eundem T. I. col. 823. Hoc anno moritur inclytus dux, Bernhardus, Karinthiae, qui habuit vxorem Ieutam, amicam Otakeri, - ex ea Philippum, Vlricum, Bernhardum, generans. Qui Bernhardus in monasterio fontis S. Mariae, quod Landstrof dicitur, cum matre requiescit, quod pater fundare laudabiliter est exorsus.

29 et 30 vid. nota 26. et 28.

31 BOHVSLAVS BALBINVS miscell. histor. regni Bohem. L. VII. sect. I. c. 34. lit. m. p. 140.

XVIII.

Quod vero ad liberos Bernhardi, ducis, attinet, inter eos quidem medio loco commemorauit Bernhardum. At hic ante patrem obiit, ac teste ANONYMO LEOBIENSI¹ in monasterio S. Mariae, Landstrof dicto, et a patre fundato, vna cum matre, sepultus fuit. Vlricum vero patri successisse in ducatus administratione, idem ANONYMVS LEOBIENSIS² et MARTINI POLONI CONTINVATOR³ testantur, multaque virtutis et pietatis specimina declarant. Etenim, ut Philippum fratrem, archiepiscopali sede delectum, defenderet, testantibus

CHRO.

CHRONOGRAPHO SALISBURGENSI ⁴ et ANONYMO LEOBIENSI, ⁵ Vlricum, fratriaemulum, armis adgressus, victor in Carinthiam rediit, et aduersarium secum captiuum abduxit. Posthaec bello, quod inter Belam, Hungariae regem, et Ottocarum Bohemum anno CIOCLX gestum est, interfuit, ac, quod CONTINVATOR MARTINI POLONI ⁶ et CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ⁷ referunt, ex parte Ottocari, cognatisui, stetit, tandemque, rebus fortiter gestis, paci restaurandae operam dedit. Enimuero, cum, in tuendo fratre occupatus, terris Salisburgensibus non parum damni intulisset, postea, poenitentia ductus, auctore CHRONOGRAPHO SALISBURGENSI, ⁸ admodum liberalis fuit in archiepiscopatum, annoque CIOCLXVIII castra S. Viti, Clagenfurthi, et S. Georgii, oblata, ab archipraesule clientelari titulo recepit. Nec minus in patriarchatum Aquileensem se beneficium praestitit, cui quippe anno CIOCLXI Laybacum donauit. ⁹ Atque, nisi omnis fallor, hoc ipso beneficio animos procerum eius ecclesiae sibi deuincire voluit. Forte enim iam tum consilia agitauit, ut frater, spe recuperandi archiepiscopatus Salisburgensis depulsus, dignitatem patriarchae Aquileiensis, si forte Gregorius obiret, nanciseretur. Id saltem certum est, Gregorio, patriarcha, anno CIOCLXIX defuncto, omnem operam impendisse Vlricum, ut Philippus, frater, in defunctilocus surrogaretur. Quo maioris esse videbatur dignitas, quam fratri quaerebat, eo minus laboribus et molestiis parcendum esse, existimauit, adeoque litteris Ottocari Bohemi commendatitiis adiutus, LEOBIENSI ANONYMO ¹⁰ testante, ipse Forum Iulii petiit, et a capitulo voti compos factus, in epistola sua, quam cel. HANSI ZIVS ¹¹ e codice, manu exarato, produxit, Ottocarum, regem cognatum, ea de re laetus certiore fecit. Verum quo minus gaudii huius fructum diuturnum caperet, morte

prohibitus fuit, quae illum, adhuc in Fori Iulii ciuitate morantem, Henrico STERONE,¹² et PALTRAMO¹³ testantibus, anno CIOCLXIX, aut, ut CHRONICORVM AVSRALIS¹⁴ et NEOBVRGENSIS¹⁵ scriptores tradunt, anno CIOCLXX prae mature abripuit. Inde cadauer deportatum in ciuitate, quae dicitur Austria, ANONYMO LEOBIENSI¹⁶ docente, terrae mandatum fuit. Coniugem Vlricus habuit Agnetem, filiam Ottonis, Meraniae ducis, ex qua filium et filiam genuit, praeter votum pietatis ante-fata sua, vna cum matre, amissos.¹⁷ In Agnetis igitur mortuiae locum anno CIOCLXIII aliam duxit, eodem, quo prior thalami socia, nomine appellatam, patre Hermanno, marchione Badensi, matre Gertrude, Austriaca principe natam.¹⁸ Ex qua cum nullam prolem videret, arcta illa, quae ipsi cum Ottocaro, Bohemiae rege, intercessit, sanguinis coniunctione adductus, cum eo de mutua in prouincias, quas ambo possidebant, successione pactus a MARTINI POLONI¹⁹ CONTINVATORE narratur. PALTRAMVS²⁰ autem et ANONYMVS LEOBIENSIS²¹ de mutua successione nihil memorant, id duntaxat affirmantes, Vlricum et ore et scriptis declarasse voluntatem, vt Ottocarus, rex Bohemiae, sibi, improli defuncto, in ducatu Carinthiae succederet. Atque horum sententia tanto plus apud me valet, quanto exactius cum ipso Vlrici, ducis Carinthiae, testamento conuenit, quod, teste IO. PESSINA DE CZECHEROD,²² in tabulario ecclesiae metropolitanae Pragensis, integrum, ac sigillo Vlrici signatum, asseruatur.

1 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1257. apud Pezium scriptor. Austr. T. I. col. 823, vid. not. 28. §. anteced.

2 IDEM l.c. Vlricus post patrem gubernacula suscipit.

3 CONTINVATOR MARTINI-POLONI ad annum 1256. apud Eccardum T. I. col. 1422. vid. not. 26. §. antecedentis.

- 4 CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ad annum 1258. apud Hier. Pezium T. I. script. Austr. col. 366.
- 5 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1259. apud eundem T. I. col. 824.
- 6 CONTINVATOR MARTINI POLONI ad annum 1260. apud Eccardum T. I. col. 1422.
- 7 CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ad annum 1260. l. c. col. 367.
- 8 CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ad annum 1268. l. c. col. 371. Dux Karinthiae pro multis damnis, quae ecclesiae Salisburgensi intulerat, satisfecit ecclesiae per ciuitates, fora, et castra S. Viti, Chlagenfurth, et S. Georgii, dans proprietatem ecclesiae, et recipiens ea in feudo.
- 9 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1261. l. c. col. 826. Hoc tempore Vlricus, dux Karinthiae, obtulit Laybacum Gregorio, patriarchae, officialibus castri clauibus traditis.
- 10 ANONYMVS LEOBIENSIS ad an. 1268. col. 831. Hoc anno Gregorius, patriarcha, moritur. Vlricus, dux Karinthiae, ad Aquileiense capitulum venit cum intercessoriis Otakeri, ut fratrem suum, Philippum, ad hanc cathedram promoueret. Sed modicum fructum attulit spes concepta. Dux enim, in foro Iulii infirmatus, moritur, et in ciuitate, quae dicitur Austria, tumulatur.
- 11 HANSIZIVS Germaniae sacrae T. II. in vita Philippi c. 37. p. 363.
- 12 HENRICVS STERO ad annum 1269. apud Freherum T. I. script. rerum German. p. 556.
- 13 PALTRAMVS in chronico Austriaco ad annum 1269. apud Pezium script. Austr. T. I. col. 717. Vlricus, dux Karinthiae, sine liberis moritur.
- 14 CHRONICON AVSTRALE ad annum 1270. apud Freherum T. I. p. 463. dux Vlricus Karinthiae obiit.
- 15 CHRONICON CLAVSTRO NEVBVRGENSE ad annum 1270. apud Pezium T. I. col. 465. Dux Karinthiae, nomine Vlricus, absque liberis moritur.

16 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1268. col. 831. vid.
nota 10.

17 IDEM ad annum 1257. col. 823. Vlricus Agnetem, filiam Ottonis, ducis Meraniae, accepit, et genuit ex ea filium et filiam, et in Victoria tumulatur. Qua coniuge defuncta, duxit aliam, Agnetem, filiam Gertrudis, marchionissae, sororem Friderici, iuuenis marchionis Padensis, cuius est mentio habita in praedictis.

18 CHRONICON AVSTRALE ad annum 1263. apud Freherum script. rer. Germ. T. I. p. 461. Dux Carinthiae, Vlricus, dominam Agnetem, filiam Hermanni, ducis Badensis, vxorem duxit.

18 CONTINVATOR MARTINI POLONI ad annum 1268. apud Ecardum T. I. p. 1424. Ottocarus, reuersus ad propria, intellecto, quod Vlricus, dux Carinthiae, debitum naturae persoluisset, Brunonem, episcopum Olmucensem, misit ad petendam Carinthiam et Carniolam, secundum pacta, quae prius fecerat cum Vlrico. Ambo enim similiter pepigerant, quod, si quis eorum sine legitimis heredibus prius decederet, alter superstes decedentis dominia possideret,

20 PALTRAMVS in chronico Austriaco ad. annum 1269. apud Pezium scriptor. Austriae. T. I. col. 717. Vlricus, dux Karinthiae, cum in hac vita esset, Regi Bohemiae, consanguineo, viua voce et priuilegiata terram Carinthiae contradidit, quam tamen idem rex Bohemiae, Ottocarus, postea bellorum potentia subiugauit.

21 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1268. col. 831. Otakerus propter pacta, quae habuit cum Vlrico, duce, misit praepositum Brunensem, ut Carinthiam et Carniolam apprehenderet.

22 THOMAS IOANNES PESSINA DE CZECHEROD martis Morauici L. III. c. 7 p. 367. haber diploma Vlrici, ducis Carinthiae: Nos Vlricus, Dei gratia, dux Carinthiae, dominus Carniolae et, Brzedslauiae &c. Cum ex diuina dispositione heredibus careamus, Dominum Ottocarum, Serenissimum Regem Bohemorum, Ducem Austriae et Styriae, ac Marchionem Morauiae, etc. praeferimus, cum sit nobis consanguinitatis vinculo colligatus, multaque

que amicitiae beneficia ac indefessa diligentiae argumenta percepimus ab eodem, heredem nostrum constituimus, ita, quod post mortem nostram, si sine filiis et filiabus decesserimus, per nos legitime generatis, terras nostras, proprietates, ac feuda, seu alia bona nostra, quaecunque nunc possidemus, possidere beat libere et quiete etc. In cuius rei testimonium ipsi dedimus praesentes litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Testes autem sunt : Albericus, comes Goritiæ et Tirolis, Magister Petrus, Praepositus Wissagradensis, Regni Bohemiae cancellarius, Ulricus, comes de Homenberg, Henricus, comes de Hardeck, Ulricus de Rosenberg, Iaroslau, frater Galli, Smilo de Brunow, Harchleb, camerarius Morauiae, Conradus, praepositus Brunensis, et alii plures fide digni. Datum in Podiebrad, anno 1267. pridie Non. Decembr. indit. XI. Extant hae litteræ etiam in BOHVSLAI BALBINI miscell. histor. regni Bohem. L. VIII. Vol. I. n. 15. p. 15. et in LVNIGII archiuo imp. part. special. cont. I. VI. Absatz p. 160.

XIX.

Non ferendum hoc, quod Ulricus in Ottocari Bohei fauorem molitus fuerat, aequo animo esse, censuit Philippus, filius Bernhardi natu minor, princeps bellicosus, et iniuriae eo vsque impatiens, ut auitum ducatum armis assertum ire non dubitarit. Neque enim tanti putabat esse sacerdotium, cui se multis abhinc annis dederat, ut regimen terrarum, satis late patentium, a fortuna sibi oblatum, e manibus dimitteret. Fuerat sane iam anno CCCCCXLVII communi canonorum Salisburgensium suffragio archiepiscopus electus. Et quanquam a pontifice Romano, electionis ignaro, Burchardus quidam de Ziegenhagen archipraefulsi dignitate dohtatus, et plane consecratus, fuisset, hoc tamen haud ita multo post pallium acceptum defuncto, Philippus a praesule R. agnitus et confirmatus, gubernacula

nacula ecclesiae pariter ac terrarum adierat, ac strenue admodum, nec sine applausu curiae Romanae, administrauerat, id quod cel. HANSIZIVS ¹ ex CHRONICO SALISBVRGENSI, ² aliisque scriptoribus eorum temporum, latius demonstrauit. Inter ipsas autem ecclesiae curandae occupationes haud obscure declarauit Philippus, adeo se a profanis alienum non esse negotiis, vtne deposito, saltem ad tempus, sacerdotali habitu belligerantis personam induere posset. Etenim anno CIOCCCL a quibusdam Stiriae comitibus offensus, terras illorum inuasit, et iniuriam, nescio quam, ab iis acceptam, teste CHRONOGRAPHO SALISBVRGENSI ³ acriter vindicauit. Mox anno subsequente animum ad omnem Stiriam, quam Rex ⁴ Bohemiae appetebat, occupandam, adiecit, illamque cum exercitu intrauit. Tanto igitur minus tolerandum esse credidit, vt Tiro-lenses ac Goritienses comites, qui incursionem in patriam, Carinthiam, fecerant, ac castrum Greiffenburgense occuparant, latius progrederentur. Qua de cauſa, armis arreptis, illis obuiam iuit continuo, fortunamque in iis repellendis adeo fauentem habuit, vt etiam Albertum Tirolensem cum aliis multis captiuum abduxerit. ⁵ Verum tamen in hac expeditione plus fere animorum sibi esse, ostendit, quam principi, sacros ordines ambienti, conuenire visum est. Etenim nostro, postea a sede archiepiscopali remoto, id in primis exprobratum fuit, quod manus in hoc bello a fundendo sanguine non cohibuisset. ⁶ At enim vero, vt admodum promptus fuit, ad vim vel inferendam vel defendendam, ita non confestim cedendum esse, ratus est, cum ab ecclesiae suae proceribus reprobatus, Vlrico, sibi surrogato, cedere a praesule R. iussus fuit. ⁷ Nihil tunc apud eum valuerunt dirae pontificis. Nihil mouerunt studia ciuium a se alienata. Quin potius Vlricum, quoad hic ecclesiam rexit, persecutus est, et subditos, sibi infensos, affixit, vtque eos

eos ad obsequium reduceret, omni contentione laborauit. ⁸
 Et perseverasset in consilio archiepiscopatus vindicandi, nisi
 tandem, Vlrico sua sponte renuntiante, ⁹ Vladislao, suo
 pariter ac Ottocari, Bohemiae regis, cognato, vltro ces-
 sisset, a Bohemo persuasus. ¹⁰ Cuius obsequii ut fructum
 caperet Philippus, postea, cum Gregorius, Aquileiensis pa-
 triarcha, defunctus est, omnem operam impendit Ottocar-
 rus, Bohemiae rex, ut Philippus in eius locum cooptare-
 tur. Igitur litteris, ad Aquileiense capitulum datis, eum
 adiuvuit, tantumque sua commendatione effecit, ut, quod ex
 epistola Vlrici, supra adducta, et ad Ottocarum missa, noui-
 mus, patriarcha electus fuerit. ¹¹ Interim confirmationem
 pontificis ab eo obtineri non potuisse, auctor est VGHEL-
 LVS, ¹² eumque hanc ipsam ob caussam a serie patriarcha-
 rum excludi, putat. Sed vtrum anxie illam petierit,
 non probat, nec ego dixerim. Notum est enim, Vlrico,
 duce Carinthiae, mortuo, Philippum nihil intentatum reli-
 quisse, vt ducatum fratris defuncti sibi vindicaret. Nec
 est, cur opinemur, principem, ad arma capienda satis ala-
 rem, diu cunctatum esse in proposito, quod mente con-
 ceperat, exsequendo. Nisi enim omnis fallor, Philippus
 hoc iam dudum animo volutauerat, ac, cum, fratrem im-
 prolem esse, cerneret, in sacris ordinibus accipiens eam
 ipsam ob caussam, vtut saepe admonitus, tardior fuerat, ¹³
 vt tanto minus impedimentorum haberet, si forte aliquando
 post fratris obitum ad principatum foret redeundum.
ANONYMVS saltem **LEOBIENSIS** ¹⁴ et **HENRICVS**
STERO ¹⁵ rem ita referunt, vt inde colligi possit, Philip-
 pum, vt primum Vlricus decessisset, spem confirmationis,
 a pontifice, patriarchatus caussa impetranda, abiecisse, ac
 in Carinthiam se contulisse, vt Ottocarum, regem, prouin-
 ciae, ex pacto, vel testamento Vlrici, inhiantem, anteuerte-
 ret. Et, si recte auguror, prior etiam in Carinthia occu-

panda fuit, Ottocaro tunc in Prussia morante. Interim nec hic, de Vlrici morte certior factus, moras traxit, sed Brunonem, episcopum Olmucensem, teste MARTINI POLONI CONTINVATORE,¹⁶ in Carinthiam ablegauit, atque, ut incolas in suas partes deduceret, instruxit. Qui cum propter Carentanorum in Philippum studia parum obtinuissest, anno CIOCCCLXX Ottocarus ipse Carinthiam adiit, tamque felici armorum successu usus est, ut, relicto Philippo, in eius fidem Carinthii transierint. Atque etiam, narrante CHRONOGRAPHO SALISBURGENSI,¹⁷ ipsum Philippum in eas angustias redegit, ut anno subsequente CIOCCCLXXI ducatu se abdicarit, et annuis redditibus se contentum fore, promiserit, necessitatis durae legi interim obsecutus.¹⁸ Mox igitur, cum anno CIOCC LXXXIII Rudolphus I ad imperium admotus fuit, et comitia, Norimbergae celebranda, indixit, Philippus ad caesarem se contulit, ac de iniuritate pauci, quod frater, Vlticus, in suam fraudem inierat, acriter conquestus, Carinthiam a Rudolpho per solennem inuestitaram recepit.¹⁹ Intervit etiam subsequente anno CIOCCCLXXV comitiis, Augustae Vindelicorum habitis, id quod diplomata caesaris duo²⁰ probant. Praesentes ibi etiam ordines prouinciarum Austriae et Carinthiae fuerunt, et contra Ottocarum iusto duriorem et acerbiorem Rudolphi auxilium et tutelam implorarunt.²¹ Hic tamen, prius quam ad arma progrederetur, leniora remedia adhibiturus, Henricum, Burggrafum Norimbergensem, et Hermannum, episcopum Basileensem, legatos misit ad Ottocarum, eisque, ut prouincias, imperio erectas, a Bohemo repeterent, negotium dedit. Sed parum bona verba apud bellicosum regem, et terrarum praeter ceteros auidum, valuerunt. Austriae enim et Stiriam dotali titulo ad se pertinere, Carinthiam graui aere a se emitam esse, respondit. Interim Rudol-

Rudolphus Lausannam petuit, cum Gregorio X, pontifice R. collocuturus, comitemque itineris habuit Philippum, domi non satis tutum ab Ottocaro, consiliis, quae noster coperat, non parum offenso. Quem ut caesar in pertinacia persistere intellexit, ad eum coercendum sese accinxit, anno que **CIOCCCLXXVI** Austriam cum grandi exercitu ingressus, Meinhardo, Tirolensi comiti, ut Stiriam Carinthiamque inuaderet, mandauit.²⁵ Quo maiore igitur in odio apud omnes incolas fuit Ottocarus, eo facilius vterque destinata perfecit, et caesar in primis tantum Bohemo metum incussit, vt sub finem anni eiusdem, quo bellum coeptum fuerat, Austriae, Stiriae, Carinthiae, ceterisque prouinciis, non satis legitime occupatis, renuntiarit, domumque cum suis redierit. Videbatur itaque bellum confeatum. At Ottocarus conuitiis suorum, et vxoris maxime, exagitatus, anno **CIOCCCLXXVIII**, armis denuo arreptis, Austriam repetiit, fortuna quidem adeo inuita et aduersante, ut ipse in praelio, quod cum caesare commisit, interemtus sit.²⁶ Inde Austriam et Stiriam Alberto, filio natu maiori, administrandam tradidit,²⁷ qui quidem ea de cauſa in diplomate quodam apud s. R HERRGOTTVM²⁸ Rudolfi, caesaris, vicarium generalem per Austriam et Stiriam se appellavit. Quis Carinthiam procurandam sortitus sit, non inuenio. Philippum tamen in possessionem eius missum esse, suspicor, propter inuestituram, iam antea a caesare impetratam. Superstes saltem adhuc fuit Philippus, ac anno demum **CIOCCCLXXIX**, ANONYMO LEOBIENSI²⁹ testante, diem supremum obiit, ac Chremssi sepultus fuit.

I HANSIZIVS Germaniae sacrae T. II. in vita Philippi c. 3. p. 345. seqq.

2 CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ad annum 1247. apud Pezium script. rer. Austriac. T. I. p. 859. Eberhardus, archiepiscopus

piscopus Salzeburgensis obiit : pro quo dominus Philippus, filius ducis Carinthiae, vnamini voto canoniconum, et ministerialium consensu, eligitur.

3 IDEM ad annum 1250. col. 362.

4 GREGORIVS HAGENVS in chronico Austriae Germanico apud Pezium T. I. col. 1073. in fin. seq.

5 CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ad annum 1252. l. c. col. 363.

6 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1255. col. 823. Philippus, electus Salisburgenis, ad papam defertur, quia non processerat, ut debebat. Fertur, quod in praelio, quod habuit cum comite Goritiae, Alberto, in quo eum captiuauerat, inquinauit manus suas.

7 CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ad ann. 1255. col. 304. capitulum Salisburgense - - in praesentia quorundam ministerialium, de consilio tamen omnium, dominum Ulricum, Seccoviensem episcopum, sibi in archiepiscopum postulaverunt, super eadem postulatione admittenda et confirmanda dominum Ottonem ad eandem curiam R. transmittentes. IDEM ad annum 1257. col. 365. Dominus papa postulationem capituli, de domino Ulrico, admisit, ipsum confirmando. Quod intelligens dominus Philippus, magis in capitulum coepit tyrannizare, canonicos et domesticos paene omnes a ciuitate eliciendo, redditus et possessiones eorum funditus euertendo, et destruendo.

8 IDEM ad annum 1261. col. 368. Capitulum Salzburgense, per sex annos multis tribulationibus et pressuris attritum, et quasi destrutum, ad exhortationem inclytorum regis Bohemiae et ducis Carinthiae, cum neminem propter imbecillitatem domini Ulrici, archiepiscopi, qui nec se ipsum tueri poterat, haberet assistentem, mediantibus dictis principibus, compositionem amicitiae cum domino Philippo iniit, salua tamen obedientia et reverentia papali.

9 IDEM ad annum 1265. col. 369. Dominus Ulricus, archiepiscopus, cessit oneri et honori, cessionem suam domino papae litteris transmittens, quam papa et curia acceptauit.

IO HANSIZIVS Germaniae Sacrae T. II. in vita Philippi c. 36.

p. 236.

11 Extat haec epistola apud HANSIZIVM. I.c. c. 37. Ibi Vlricus: - - Gregorio - tumulato, suffraganei et capitulum ipsius Aquileiensis ecclesiae - - mediantibus vestris apicibus et precibus, nulloque penitus discrepante, karissimum fratrem nostrum, dominum Philippum, in patriarcham et dominum ecclesiae praedictae vnamimter et concorditer per formam scrutinii elegerunt.

12 FERDINANDVS VGHELLVS Italiae Sacrae T. V. col. 94.

13 THOM. EBENDORFFERVS AB HASELBACH L. III. apud H. Pezium T. II. col. 768. (Philippus) dum intra tempus statutum sacros ordines neglexisset suscipere, delatus est super hoc summo pontifici, qui hac de causa canonicis assensum praebuit, ut alium sibi episcopum eligerent. it. CHRONICON SALISBURGENSE ad annum 1254. apud Pezium T. I. col. 364. Alexander IV sententiam de omnibus kathedralibus electis, qui tunc plures erant, ut infra annum munus consecrationis recipieren, dedit; vnde graues in ecclesiis discordiae ortae sunt. Idem ad an. 1256. ibid. Dominus Philippus, non obediens constitutioni papali, per homines etc.

14 ANONYMVS LEORIENSIS ad annum 1268. apud Pezium T. I. p. 831. Otakerus propter pacta, quae habuit cum Vlrico, duce, misit praepositum Brunensem, ut Carinthiam et Carniolam apprehenderet, sed ciuitates et nobiles Philippo constan- tissime adhaeserunt, et praepositum, affectum contumeliis, contempserunt. ID EM col. 839. Hoetempore Philippus, qui quondam electus Salzburgensis fuerat, et tandem electus Aquileiensis, sed neutro liber confirmatus, mortuo fratre suo, Vlrico, duce Karinthiae, dimisit sedem Aquileiensem, cuius tune expectabat confirmationem, volens possidere suum patrimonium, scilicet Karinthiam et Carniolam, quia frater eius absque liberis decesserat.

15 HENRICVS STERO ad annum 1269. apud Freberum T. I. p. 556. Gregorius, patriarcha Aquileiensis, obiit, in cuius locum eligitur Philippus, quondam Salzburgensis electus, frater Vdal-

rici, ducis Carinthiae. Quo Ulrico posthaec in breui sine hereditibus defuncto, memoratus Philippus sibi eundem ducatum, tanquam verus heres ipsius, attrahere attentabat, sed per Ottosari, regis Bohemiae, potentiam impeditur.

16 MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1268. apud Eccardum T. I. col. 1424. Ottocarus, profecitionem parans in Prussiam, in Poloniam venit, vbi, cruce accepta, iter arripuit. Deinde reuersus ad propria, intellecto, quod Ulricus, dux Carinthiae, debitum naturae persoluisset, Brunonem, episcopum Olmucensem, misit ad petendam Carinthiam et Carniolam.

Sed secundum hoc nihil profecit episcopus, nec obtinere potuit, nisi duo castra, quae se sponte Ottocaro subiecerunt. Reliquis terras inuasit Philippus, frater praedi*ti* ducis, Ulrici. Anno 1270. Ottocarus, apprehendere cupiens Carinthiam et Carniolam, primo inuasit Laybacum, et id per obsidionem et violenciam in deditio*nem* recepit, deinde, in Carinthiam properans eam tandem sibi subiecit, et priuilegium terrae cum aurea bulla de ducatus inuestitura in ciuitate S. Viti sustulit, et in Bohemiam destinauit.

17 CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ad annum 1271. p. 372. Dominus Philippus, quondam electus Salisburgen*s*is, totum patrimonium suum regi Bohemiae resignauit. Inter haec ciuitatem S. Viti cum aliis munitionibus ac foris, per quae dux Ulricus Carinthiae satisfecerat ecclesiae Salisburgen*s*i de dannis multis, quae eidem ecclesiae irrogarat, sibi potentialiter vendicauit.

18 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1269. col. 831. Orakerus Karinthiam ingreditur, et primo Laybacum obsidet, Philippi factores opprimens, et in breui utrasque terras sibi subiecit, quia nemo resistere poterat. Philippus videns se minorem, resignauit omnia, et, acceptis prouentibus ab eo necessariis, in Cremsam, ciuitatem Austriae, commigravit.

19 MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1273. col. 1425. Ad hanc etiam curiam (Norimbergensem vel Rothenburgensem) venit Philippus, filius Bernardi, olim ducis Carinthiae, dolens de pactis, quae frater eius, Ulricus, quondam cum

Otto-

Ottocaro fecerat, et de manu regis Carinthiam et Carniolam suscepit in feudum.

20 DIPLOMA RUDOLPHI, caesaris, cui Philippi, ducis Karinthiae, nomen adscriptum est, Augustae anno 1275. exaratum, extat apud *Gewoldum de septemuiratu c. 10.* in *repraesentat. imperii p. m.* 757. item apud *Tollnerum* in cod. diplomatico historiae palatinæ n. 107. p. 76. it. apud *Hund.* in metrop. T. I. p. 54. Aliud eiusdem diploma, Augustae XV. Kal. Jul. anno 1275. datum, habet *Hundius* l. c. T. II. p. 192.

21 CHRONICI COLMARIENSIS pars altera, apud *Vrstifum* T. II. p. 41. Et tunc literas et nuntios miserunt regi Romanorum, rogantes suppliciter, ut ad preces ipsorum veniat, quia terras, ad imperium spectantes, quas rex Bohemiae per violenciam possideat, velint suo domino subiugare. Idem relatum legitur apud *LEOBIENSEM ANONYMVM* col. 839. Tandem hic Philippus cum baronibus Stiriae - - regem, Rudolphum, Romanorum, adierunt, ut descenderet, et ducatum Austriae et Karinthiae de dominio regis auferret Bohemiae. MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1275. p. 1426. seq.

22 MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1273. p. 1426. Posthaec, soluta praedicta curia, rex ambassiadorem suum, scilicet Henricum, burggrauium de Nurnberg, mittit ad Ottocarum, per quem ei mandat, quod libere dimittere sibi debeat regna, Austria, Stiriam, Carinthiam et Carniolam etc. Ottocarus respondisse fertur : non erdat rex, quod tam faciliter sibi reddantur, quae arcu et gladio meo cum multo sudore acquisiui, et quae ad me consanguinitatis et affinitatis tramite deueherunt.

23 IDEM ad annum 1274. l. c. Solute Lugdicensi concilio papa transtulit se Losannam, ubi rex, Rudolphus, obuiauit eidem.

24 DIPLOMA RUDOLPHI; quod nomen Philippi, ducis Carinthiae, adscriptum habet, Lausanne anno 1275. exaratum extat apud *Lunigium codicis Italiae diplomatici* T. II. col. 731.

- 25 MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1274. col. 1427. His auditis, rex, collecto exercitu, in Austriam properauit, Viennam obsecdit per sex menses, totum ei territorium demolitus. Interim Meinardus, comes Tirolis, Carinthiam et Stiriam ad iussum regis intrauit, et breui tempore nobiles, ciuitates, et populos, ad regis obedientiam inclinauit.
- 26 Haec omnia latius enarrat MARTINI POLONI CONTINVATOR. I.c. HENRICVS STERO ad an. 1270. apud *Freberum* T.I. p. 563. CHRONICON COLMARIENSE apud *Vrftifum* T.I. p. 42. seqq. HISTORIA AVSTRALIS PLENIOR apud *Freberum* T.I. p. 470. Ipse denique Rudolphus in diplomatis, quae publici iuris fecit s.r. HERRGOTT in codice diplomatico genealogiae Austriacae adiecto T.II. P.II. n. 80-83. p. 481. seqq. Documentum, in quo Austriae, Stiriae, et Carinthiae, ducatibus se abdicauit Ottocarus, extat apud *Leibniium* in mantissa codicis diplom. iur. gent. p. 100.
- 27 CHRONOGRAPHVS SALISBURGENSIS ad an. 1281. apud *H. Pezium* T.I. p. 382. Eodem anno ipse rex exiuit terram Austriae, et ipsum ducatum Alberto, filio suo primogenito, commendauit, sed postmodum eundem ducatum eidem filio suo Alberto et Rudolpho, filiis suis, in feudum contulit coram principibus, super hoc Augustae congregatis. Idem habet HENRICVS STERO ad annum 1281. apud *Freberum* T.I. p. 566.
- 28 vid. HERRGOTT in cod. diplom. genealogiae Augustae Habsburg. adiecto. T.II. P.II. n. 858. p. 506.
- 29 ANONYMVS LEOBIENSIS ad an. 1279. apud *H. Pezium* col. 855. Hoc anno Philippus, Salzburgensis electus, moritur apud Cremsam. Testamentum condidit sub titulo ducatus Karinthiae, et Laybacum ecclesiae Aquileiensi disponit, et fratris donationem ratificauit. Titulus sepulcri sui haber, quod fuerit dux, episcopus, patriarcha. vid. etiam CHRONICON SALISBURGENSE apud *Pezium* T.II. col. 428. ibi: Philippus. Hie fuit filius ducis Karinthiae, electus et confirmatus, sed non consecratus. Obiit sepultus in Chrems.

XX.

Id vero dignum videtur, quod examinetur paulo accuratius, quis demum, Philippo defuncto, procurationem Carinthiae acceperit. Etenim quo minus credam, Alberto, praeter Austriam ac Stiriam, etiam Carinthiam commissam fuisse, prohiberi me, credo, ipsius Alberti diplomatico Kal. Iul. anno CICCLXXXII, non multo ante dualem dignitatem acceptam, exarato.¹ In hoc enim se COMITEM HABSBVRGI ET KYBVRGI, LANDGRAVIVM ALSATIAE, ILLVSTRIS ROMANORVM REGIS PRIMOGENITVM, ET EIUSDEM PER AVSTRIAM ET STIRIAM VICARIVM GENERALEM, nominavit. Interim mihi a vero haud absimile videtur, operam dedisse Rudolphum, caesarem, ut Carinthiam aequae ac Austriam et Stiriam consensu procerum imperii genti suae compararet. In tabulis saltem, ² quibus Albertus, Saxoniae dux, consensum suum ad hoc caesaris consilium accommodauit, Carinthia nominatim commemoratur. Et tamen non multum abest, quin Carinthiam in numero prouinciarum, anno CICCLXXXII a Rudolpho, rege, filiis, Alberto et Rudolpho, datarum, fuisse, negarem, nisi ab ipso caesare in litteris, a s. r. STEYRERO ³ publici iuris factis, id affirmari viderem. Etenim quotquot ego vel Alberti, vel Rudolphi, fratrum, chartas inspexi, Austriae tantum et Stiriae cognomina continent, ducatus autem Carinthiae mentionem nullam faciunt. Exemplo esse possunt litterae Alberti, IV. Kal. Augusti anno CICCLXXXII scriptae ⁴ in quibus DVX AVSTRIAET STIRIAE, DOMINVS CARNIOLIAE MARCHIAE AC PORTVS NAONIS DE HABSBVRCH ET CHIBVRCH COMES ET LANDGRAVIUS ALSATIAE appellatur. Neque Carinthiae

rinthiae ducatum animaduerto in diplomate Rudolphi, caesaris, quo iura et priuilegia ducum Austriae d. XI. Iun. C I O C C L X X X I I confirmavit. Nihilo tamen minus in documento, antea excitato, idem Rudolphus, caesar, testatur, se vna cum Austria et Stiria etiam Carinthiam filiis dedisse, hos autem, quos dixi, filios rogasse, ut Augustus parens Carinthiam, qua se abdicarant, in Meinhardum, comitem Tirolensem, ac heredes eius, conferret. Nescio itaque, quod ingenue fateor, quo demum pacto ex hac quoque difficultate me expediam. Neque etiam satis intelli- go, quid tandem caussae fuerit Alberto et Rudolpho, fra- tribus, ut titulo ducis Carinthiae in tabulis abstinuerint, cuius tamen inuestituram aequa ac Austriae et Stiriae accepisse a Rudolpho in litteris, antea citatis, dicuntur.

I D I P L O M A A L B E R T I , Viennae Kal. Iul. anni C I O C C L X X X I I datum, extat apud Herrgott, in codice probationum genealogiae Augusta Habsburgicae T. II. P. II. n. 808. p. 506.

2 Extant ALBERTI, SAXONIAE DVCIS tabulae in du Mont corps diplomatique T. I. P. I. p. 247. et in Lunigii codice Germaniae diplomatico T. II. p. 483. ibi, voluntatem, inquit Albertus, nostram adhibemus, . . . quod Rudolfus R. rex filii suis, Alberto et Rudolfo, terras, videlicet Austriam, Styriam, Karinthiam, Carniolam et marchiam Slavicam libere possi- dendas iusto titulo conferat feudali etc.

3 A L B E R T U S S T E Y R E R in additionibus commentarior. pro hi- storia Alberti II, ducis Austriae, p. 82. allegat diploma Rudolphi, caesaris, in fidem Carinthiae, Meinhardo datae, anno 1286. prid. Kal. Febr. scriptum. Nouerit, inquit Rudolphus caesar, praefens etas et futuri temporis successiva posteritas, quod illustres, Alber- tus et Rudolphus, duces Austriae et Stiriae, domini Carniolae, marchiae et portus Naonis, principes et filii nostri dilecti, apud Augustam in nostra presencia constituti, celsitudini nostre de- votis precibus institerunt, quatenus principatum siue ducatum terre

terre Carinthie, quo ipsos iamdudum cum ceteris ducatis Austriae et Styrie supradictis de consensu principum electorum, ius in electione regis R. habentium, investiisse recolligimus in Augusta, in manus nostras libere resignatum, spectabilis viro, Meinhardo, comiti Tyrolis, et heredibus suis, conferre, ac ipsum de eodem solenniter inuestire, de regali nostra clementia dignaremur. Nos itaque etc.

4 DIPLOMA ALBERTI, DVCIS AVSTRIAEC, datum apud Winter-
tur IV. Kal. Aug. anno domini CCCCCLXXXII, extat apud Herr-
gott l. c. n. 809. p. 507.

5 DIPLOMA RUDOLPHI, CAESARIS, Rheinfeldiae d. XI. Jun.
1283. datum, extat apud Fuggerum im Spiegel der Ehren des
Hausses Oesterreich L. II. c. 4. p. 196. et apud Lunig. archiv.
imperial. part. special. contin. II. p. 69.

XXI.

Verum haec enodatius explicanda peritioribus re-
linquo. Ego ad Meinhardum transeo, qui xx millibus
marcarum argeati, Rudolpho, eiusque filio, Alberto, mu-
tuo datis, Carniolam in securitatem crediti, pignoris iure,
Carinthiam autem clientelari titulo, a caesare accepit. Id
que anno CCCCCLXXXVI accidisse, ANONYMVS LEOBIN
ENSIS, et MARTINI POLONI CONTINVATOR^EBI
vno calamo restantur, et CHRONOGRAPHVS STAMSEN^ESI
SIS ³ confirmat. Quando vero hic Meinhardum ipso
natali domini ducem Carinthiae creatum fuisse, meminit,
sine dubio ad tempus respexit, quo primum Meinhardo
provincia decreta fuit. Nam in diplomate, quod supra
ex S. R. STEYRERI ⁴ commentariis adduxi, in fidem so-
lennis inuestiture conscripto, dies a Kal. Februariis pro-
ximus nominatur. Fuit autem Meinhardus ex Tirolen-
sum comitum gente minime ignobili prognatus. Et an-

M

tea

tea quoque, quam ducali dignitate a Rudolpho Habsbur-
gico amplificatus est, cum ob gloriam, a maioribus acce-
ptam, tum suam ipsius virtutem, in tanto honoris gradu
collocatus, videbatur, ut Elisabetham, augustam, Conra-
di IV, Romanorum regis, viduam, Ottonis, Bauariae ducis,
filiam, matrimonii, cum ipso ineundi, minime suppuderet.
Haec enim, CHRONICO AVGUSTENSI ⁵, docente, post
prioris mariti fata prid. Non. Octobr. anni CIOCLIX in
Meinhardi thalamum transiit, Conradino filio, quem ex
priore marito genuerat, nequicquam obloquente, si verum
est, quod IO. VITO DV RANVS ⁶ enarrat. Quis vero
Meinhardi nostri pater fuerit, non satis est exploratum.
Albertum, comitem Tirolis et Goritiae, ARENPECKIVS ⁷
et ANONYMVS LEOBIENSIS ⁸ appellant. Alii, Mein-
hardum nominatum fuisse, suadent. Sed prior sententia po-
tior videtur, cui quippe STAMSENSIS MONACHVS ⁹
adstipulatur. Huic vero de gente Meinhardi tanto cer-
tius constare potuit, quoniam in ipsum Stamsense mona-
sterium, a Meinhardo fundatum, duodecim familiae Tiro-
lensis cadavera, olim alibi sepulta, translata fuerunt. ¹⁰
Atque in his etiam corpus Alberti, anno CIOCLIII. d. S.
Magdalene, seu XXII. Iulii, defuncti, fuisse, CHRO-
NOGRAPHVS, quem modo dixi, STAMSENSIS refert.
Idem Alberti quoque, aui, reliquias, e terra Tirolensi, cui
mandatae fuerant, deportatas, ac in monasterio, recens ex-
structo, denuo depositas fuisse, enarrat. Matrem denique
Meinhardi fuisse comitis Andeccensis filiam, omisso tan- en
nomine, ANONYMVS LEOBIENSIS ¹¹ ait. Interim mi-
nime difficeor, pleraque, haec tenus de familia Meinhardi
adducta, in dubio adhuc versari, ideoque, ut altius repe-
tantur, digna videri. Quod tamen ne in praesenti per-
ficiam, quantumuis maxime velim, temporis angustia obstat.
Haec certe iubet etiam, ut in rebus, a Meinhardo gestis,
recen-

recensendis, breuitati studeam. Igitur hoc vnum addo,
 Meinhardum, impetrata pridie Kal. Februar. Carinthiae
 inuestitura, circa xix Kalend. Septembr. eiusdem anni
 more institutoque maiorum in sede ducatus solenniter col-
 locatum, illique fidem clientelarem a vasallis confirmatam
 sacramenti religione fuisse. Solum fratrem Meinhardi,
 Albertum, in officio faciendo difficultorem fuisse, ANONY-
 MVS LEOBIENSIS, ¹² et MARTINI POLONI CONTI-
 NVATOR ¹³ produnt. Huic enim durum atque indi-
 gnun visum fuisse, memorant, a fratre fratri, olim pari, et
 nuper demum ad altiorem locum euecto, id venerationis
 genus exhiberi, quod praerogatiuae non vulgaris signifi-
 cationem haberet. Rogasse igitur Albertum, ut beneficia,
 Goritiensibus comitibus, ceu palatinis Carinthiae, assignata,
 in filium, Henricum, conserret, patris nomine omnia obse-
 quia praestitum. Enimuero non cedendum esse duxit
 Meinhardus fratrib postulato. Quin et minatus est, se
 feuda fratrib, iuriandum fidei adstringendae detrectan-
 tis, vni ex filiis suis darurum esse, si in pertinacia persiste-
 ret Albertus. Qua quidem de caussa hic, consiliis ami-
 corum obsecutus, ea omnia fecit, quae ex lege ac con-
 suetudine debebantur, fratribusque clientem fese solemni ce-
 rimonia est professus. Ab hoc itaque tempore Meinhar-
 dus, plaudentibus omnibus, Carinthiae cum maxima au^{to}ri-
 tate praefuit, et tandem anno ccccxcv in vigilia
 omnium sanctorum, quae in xxx Octobris incidit, vitam
 depositus, ¹⁴ vxorem, Elisabetham, iam anno cccclxxiiii
 vii. id. Octobr. defunctam, ¹⁵ secutus. Praeter hanc,
 aliam ipsi coniugem tribuit HVBNERVS, ¹⁶ Agnetem
 nimurum, Vlrici, Carinthiae ducis, anno cccclxx mor-
 tui, viduam, amplissima dote Carinthiae ducatus, ut singit,
 instructam. Sed falli HVBNERVM, quilibet sua sponte
 intelligit, qui indolem feudorum imperii non omnino igno-
 rat.

rat. Haec enim ad viduas transire, ne tiro quidem sibi persuadebit. Accedit, quod ex CHRONICO AVSTRA-
LI⁷ et ANONYMO LEOBIENSI⁸ demonstrari pot-
est, alterum Agnetis maritum fuisse Ulricum, comitem de
Heumburg, ab Ottocaro, Bohemiae rege, illi in societatem
thalami obtrusum.

1. TIANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1286. apud *H. Pezium*
T.I. col. 857. ibi: Rex - - Meinhardum ducem Karinthiae
designauit.

2. MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1286. apud
Eccardum T. I. col. 1428. Anno domini ccccclxxxvi rex,
Rudolphus, in Augusta ciuitate solennem curiam celebrauit, in
qua - - comitem, Meinhardum, Carinthiae ducem instituit, a
quo fertur accepisse mutuo xx millia marcarum argenti, obliga-
ta sibi Carniola pro pignore.

3. CHRONICON MONASTERII STAMSENSIS ad annum 1286.
apud *H. Pezium* T. II. col. 457. Anno domini ccccclxxxvi,
ipsa die nativitatis domini, supra dictus Meinhardus, comes,
creatus est dux Karinthiae in Augusta a Rudolpho rege Roma-
norum.

4. ALBERTVS STEYRER in addit. comment. pro vita Alberti II,
ducis Austriae, p. 81. vid. nota 3. §. XX.

5. CHRONICON AVGUSTENSE ad annum 1259. apud *Freherum*
T. I. script. rer. Germ. p. 533. Meinhardus, comes Goritiae, du-
xit in vxorem dominam Elisabeth, sororem Ludouici et Henrici,
ducum Bauariae, reliquam Chonradi, regis, in octaua S. Michaelis,
apud Monacum nuptiis celebratis.

6. 10. VITO DV RANVS apud *Leibnitium* access. histor. T. I.
p. 15.

7. VITVS ARENPECKIVS in chronico Austriaco apud *Hier. Pe-
zium* T. I. col 1233. Genitor ipsius, (Meinhardi) Albertus, co-
mes Goriciae et Tyrolis, obiit 1253. in die Mariae Magdalena, in
fundatione filii in monasterio Stams est honorifice humatus de
Tyroli translatus.

8 ANONYMVS LEOBIENSIS chronicus Austriaci L. II. ad annum 1272. apud Pezium T. I. col. 836. Meinhardus, comes, Alberto patre, ex filia marchionis Andeccensis, viri nobilissimi, ortus, ex regina Elisabeth quatuor habuit filios.

9 CHRONICON STAMSENSE ad annum 1213. l. c. col. 457. Anno domini CCCCCLIII in die S. Mariae Magdalena obiit Albertus, comes Goritiae et Tirolis, pater comitis Meinhardi, fundatoris nostri, qui apud nos honorifice est tumulatus.

10 IDEM l. c. ad annum 1284. Nonas Septembris monasterium S. Mariae, virginis, et S. Ioannis, baptistae, in Stams a septem reuerendis episcopis consecratum est. Et eodem die tumulati in chorō ibidem ex vroque latere, praeclarus comes, patruus fundatoris nostri, atque avus, nobilissimus comes, Albertus, cum honestissima coniuge sua, ac liberis eorundem, aliisque, de eorum progenie, vsque ad duodecim corpora, quae proinde apud Tirol fuerunt exhumata, et ad nostrum monasterium honorifice deuecta, ut apud matrem Iesu Christi, supremam patronam nostram, possent beatius sepeliri.

II ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1272. l. c. vid. nota 8.

12 IDEM ad annum 1287. l. c. col. 859. Cum praedicto Junii tempore essent in Augusta, Meinhardus, in capite Kalendarum Septembrium in sedem ducatus sui solenniter collocatus, secundum consuetudinem a priscis temporibus obseruatam.

13 MARTINI POLO CONTINVATOR ad annum 1286. col. 1428. Eodem anno dux ipse, Meinhardus, in Calendis Septembris in sedem sui ducatus secundum consuetudinem, diutius obseruatam, prope ecclesiam S. Petri, sub monte Carinthiano sitam, super quodam lapide, praesente comite Goritiae, qui est terrae illius palatinus, cum quibusdam ceremoniis inthronizatus solenniter. Cum haec acta fuissent, Albertus, comes Goritiae, fraternae gloriae visus inuidere, feuda sua, quae ibi habebat, a fratre suo recipere recusavit, petens, filium suum investiri. Quod cum Meinhardus facere recusasset, amicis et propinquis se interponentibus, et Albertum redarguentibus, iudicatus est

Albertus finaliter ad recipiendam inuestituram a fratre suo.
Posteriora haec latius enarrat ANONYMVS LEOBIENSIS
col. 860.

I4 CHRONICON STAMSENSE ad annum 1295. l.c. In uigilia
OO. SS. obiit saepe dictus Meinhardus, dux Carinthiae, comes
Tirolis etc.

I5 IDEM ad annum 1273. l.c. in die S. Dionysii obiit p̄ae-
dicta domina Elizabeth, fundatrix huius coenobii, hic se-
pulta.

I6 HVBNERVS tabular. genealogicar. T.I. tab. 129.

I7 CHRONICON AVSTRALE ad annum 1270. apud Freherum
T.I. p. 463. Domina Agnes, proneptis inclyti Leopoldi, ducis
Austriæ, relictæ Ulrici, ducis, ab Ottocaro, rege, tradita Ulrico,
comiti dicto de Humburg, in depressionem generis.

I8 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1268. apud Pezium
l.c. col. 831. l.c. relietam eius, (Ulrici ducis Karinthiae,) Agnetem,
sororem Friderici, qui cum Chunradino interiit, duxit comes
Ulricus de Heunburg, quae genuit filios et filias.

XXII.

Ex Elisabetha autem Bauara suscepisse legitur Mein-
hardus Ottonem, Albertum, Ludouicum, et Henricum, fi-
lios, praeter hos autem filias duas, Elisabetham, et Agnetem.
Illa connubio Alberti I, caesaris, sociata, ¹ numerosae so-
bolis ² pariter, ac omnium subsequentium Austriae du-
cum, ipsiusque augustissimi Caroli VI, imperatoris, felicis-
sima mater euasit, et v Kal. Nou. anno 1300 est
defuncta. ³ Agnes autem, anno 1300 ad mortem Frideri-
cum admorsum, landgrauium Thuringiae ac marchio-
nem Misniae, maritum nacta, ⁴ anno 1300 e viuis
excessit. ⁵ Quod ad filios attinet, Albertum ante patris
fata anno 1300, in die S. Georgii, qui est xxiii.
Aprilis

Aprilis, morte abruptum esse, ex CHRONICO STAM-
SENSI ⁶ apparet. Vxorem tamen et huic fuisse, patre
Alberto, comite de Heierloch, natam, et ex ea filiam Mar-
garethem, Friderico, burggrafo Norimbergensi, nuptam,
auctor est ANONYMVS LEOBIENSIS. ⁷ Reliqui tres fi-
lli patri superstites fuerunt, et, docente MARTINI POLO-
NI CONTINVATORE, ⁸ anno ccccxcix Iudos eque-
stres cum magna pompa celebrarunt. Ex iis, ipso quo-
que Alberto connumerato, natu maximus fuit Otto, ⁹ et
filiam ducis Poloniae in matrimonio habuit, filiasque ex ea
quatuor genuit, quarum prima Elisabetha Petro, regi Sici-
liae, Friderici filio, altera Rudolpho, comiti palatino ad Rhe-
num, coniugio collocata fuit. Duae posteriores virgines
obierunt. ¹⁰ Ipse autem Otto die S. Vrbani, sive xxv
Maii, anno ccccc vivis excessit, ¹¹ Ludouico iam an-
tea d. xxii Aprilis anno ccccv improli extinto. ¹²
Igitur, fratribus omnibus sine mascula prole mortuis, solus
Henricus superfuit, et rerum in Carinthia et Tirolensi co-
mitatu potitus, mox etiam ad regnum Bohemiae vocatus
fuit. Postea enim, quam anno ccccv, MARTINI
POLONI CONTINVATORE ¹³ narrante, aut vt FRAN-
CISCVS ¹⁴ quidam, a s. R. STEYRERO ¹⁵ allegatus, ma-
vult, anno ccccv cum Anna, Wenceslai II, regis Bohe-
miae filia matrimonium inierat Henricus, et Wenceslaus,
frater Annae, anno ccccvri praemature exspirarat, ¹⁶
Henricus, a parte procerum inuitatus, in Bohemiam, se
contulit, eamque, ex iure vxoris, Annae, assertum iuit. ¹⁷
At quo minus tamen voti compos fieret, Albertus I, cae-
sar, impediuit, qui quidem Rudolphum, filium, a primati-
bus Bohemiae compluribus expetitum, in Bohemiam mi-
sit, illique, vt tanto meliore iure vteretur, Wenceslai III
viduam, in matrimonium dedit. Atque huic, quod ce-
perat, consilio, euentus eo vsque optatus respondit, vt
Hen-

Henricus, qui cum rege cognato vel armis experiri noluit, vel ob potentiam Alberti non valuit, relicto regno, in Carinthiam redierit.¹⁸ Interim nec Alberti, caesaris, gaudium satis fuit diuturnum, propterea, quod Rudolphus, eius filius, regni possessionem vix consecutus, vitam cum morte commutauit. Quo facto, Henricus, e Carinthia in Bohemiam reuocatus, conditionem oblatam accepit, eoque reuersus, mox omnium consensu receptus fuit.¹⁹ Aegre tamen hoc tulit Albertus, caesar, Rudolphi defuncti postumo, quem vidua in utero gessit, mox etiam enixa est, regnum seruaturus. Igitur Carinthia et Carniola Henrico per vim erepta, arma etiam in Bohemiam ferre instituit. Et exsecutus propositum esset, nisi a Ioanne fratribus filio, inter haec ipsa, quae agitabat consilia, occisus fuisset. Perquam igitur opportune, et rebus Henrici Carinthii admodum conuenienter, interuenisse caedes Alberti videbatur. At Bohemi, Henricum interim pertaesum, per legatos ad Henricum VII, caesarem, Alberto necato, electum, missos, rogarunt, ut Elisabetham, Wenceslai III sororem natu minorem, cum Ioanne, filio, connubii lege iungeret, huncque, electo Henrico Carinthio, Bohemiae regem daret. Quam occasionem, ad augendam domus suae potentiam egregie comparatam, ut non contemnendam esse arbitratus est, ita certe fortunam in expellendo Henrico adeo fuentem habuit, ut Henricus, quem dixi, intra breve tempus in necessitatem deserendae Bohemiae adductus fuerit.²⁰ Recepit igitur se se rex, iterum exul, in Carinthiam, quae ab Alberto, caesare, occupata, et in Austriacorum dictione adhuc seruata, Henrico nuper demum ea lege restituta fuerat, ut Carniolae, acceptis xx marcarum millibus olim oppignoratae, sex tantum restitutis millibus reliquiae, Austriacis potestas foret. Conuenerat praeterea inter principes cognatos, ut mutua se se ope Austriaci et Carin-

Carinthius adiuuarent. Sed ne illi in cauſſa Bohemica ſi-
dem exſoluerent, Henrici, caesaris, auſtoritas prohibebat,
a quo etiam, ne de Austriacis provinciis, ab auo, Ru-
dolpho, acceptis, litem moueret, videbatur metuen-
dum.²¹ Tanto igitur citius Henrico Carinthio acquie-
ſcendum fuit, vt, poſſeſſione regni Ioanni Luxemburgico
relieta, ipſe intra Carinthiam ſuam ſe conineret, ac, no-
mīne regio contentus, ſpe interim recuperandi regni ale-
retur.²² Enarrat hoc iſum MARTINI POLONI CON-
TINVATOR,²³ et diplomata Henrici,²⁴ poſt amittim
regnum exarata, confirming, in quibus Bohemiae ac Po-
loniae regem ducemque Carinthiae ſe appellauit. Quod
igitur ne ſibi posterisque fraudi eſſet, Ioannes, rex Bo-
hemiae, ad omnia attentus, callide prouidit, ac de nuptiis
inter Ioannem filium, marchionem Moraviae, et Margare-
tham, a repandi oris vitio Maultaschiae nomine inſignem,
contrahendis, iam anno c15cccxxiv cum Henrico Ca-
rinthio agere coepit.²⁵ Mox anno c15cccxxvii filium
in Carinthiam misit, annoque c15cccxxx eum ſecutus, ne-
gotium ad optatum finem perduxit.²⁶ Ab hoc au-
tem tempore paucos annos ſuperfuit Henricus, quippe
c15cccxxxv die S. Ambroſii, qui eſt iv. Aprilis, defun-
ctus, ut CHRONOGRAPHVS STAMSENSIS²⁷ testatur,
et s. r. STEYRERVS²⁸ latius demonstrat. Coniuges
Henrico fuerunt tres, quarum prima Anna, Wenceslai II,
regis Bohemiae filia, anno c15ccxc iſpis id. Octobr.
nata,²⁹ ac anno c15cccc v nupta,³⁰ iv. Non. Septembr.
c15cccxi deceſſit.³¹ In eius locum anno circiter
c15cccxy³² oprauit Adelheidem, Henrici Brunsuicensis
filiam,³³ anno c15cccxx. xv. Kal. Septembr. mor-
tuam.³⁴ Nouissima denique fuit Beatrix, Amadei, Sabau-
diae comitis, et Mariae, Brabantinae principis, filia,³⁵ qua-
cum, iam anno c15cccxxvii ſibi ſponsa dicta,³⁶ Hen-
ricus

ricus c*13*⁰⁰c*cc**xx* matrimonium consummauit.³⁷ At haec tamen ipsa quoque d. xix. Decembr. anno c*13*⁰⁰c*cc**xxxi* obiit,³⁸ Henrico marito, iam tertium uiduo, relicto.

1 CHRONICON MONASTERII MELLICENSES ad annum 1282. apud *Pezium* T. I. col. 24^E. Rudolphus, rex, contulit ducatum Karinthiae comiti Tirolensi, Meinhardo, cuius filiam duxit filius eius, dux Austriae, Albertus.

2 CHRONICON ALBERTI II, ducis Austriae, apud *H. Pezium* T. II. col. 375. Habuit autem iam dictus primus Albertus vxorem Elisabeth, filiamante dicti Meinhardi, ducis Karinthiae, feminam religiosam et eleemosynariam, ex qua genuit sex filios et quinque filias.

3 CHRONICON STAMENSE ad annum 1313. apud *Pezium* T. I. col. 458. V. Kal. Nou. obiit serenissima domina Elizabeth, relata domini Alberti, regis Romanorum, et mater omnium decem praedictorum liberorum, et fuit filia praedicti principis, illustris Meinhardi, ducis Karinthiae, fundatoris nostri.

4 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1272. apud *Pezium* T. I. col. 836. Duas quoque filias habuit dictus comes, (Meinhardus) una fuit landgravia Thuringiae conthorata, et genuit Fridericum, landgravium Thuringiae, et Misnensium marchionem; Alberto nupsit altera, Rudolphi, praefati comitis, filio, quae ducissa Austriae et regina Romanorum, sicut inferius exprimitur, est effecta.

5 CHRONICON MARCHIONVM MISNIAE §. 132. apud *Ludwig.* reliquiar. MSCt. T. VIII. p. 246. Fridericus siquidem marchio Misnn. et Thuringie landgravius, filius Alberti, primo accepit uxorem Agnetem, filiam ducis Karinthie, quae obiit anno domini c*13*⁰⁰c*xciii*, genuitque ex ea filium Fridericum, qui in iuuentute mortuus fuit.

6 CHRONICON STAMENSE ad annum 1305. I. c. col. 357. In die S. Georgii, martyris, obiit Albertus, illustris dux Carinthiae, filius fundatoris nostri.

- 7 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1272. l. c. Meinhardus, comes, ex regina, Elisabeth, quatuor habuit filios, primum Ludwicum, qui non fuerat coniugatus, secundum Albertum, qui Alberti, comitis de Haierloch, filiam duxit: ex qua genuit filium, quae Friderico, Purgratio de Nurnberg, nupsit, et vtriusque sexus foetum protulit copiosum.
- 8 MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1299 apud Eccardum T. I. col. 1431. Eodem anno Ludouicus, Otto, et Henricus, duces Carinthiae, filii quondam Meinardi, ducis, nouam militiam et curiam in civitate S. Viti solenniter celebrauerunt. Ad quam de diuersis partibus multi principes et nobiles conuenerunt, et, ibidem suarum diuinarum et potentiae gloriam ostendentes, nomen suum longe lateque per regiones alias difuderunt.
- 9 CHRONICON STAMENSE ad annum 1310. l. c. col. 458. In die S. Urbani, papae, obiit illustris dux, Otto, primogenitus fundatoris nostri, hic tumulatus.
- 10 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1272. col. 836. Meinhardus filium habuit, Ottонem, qui filiam ducis Poloniae, et ex ea quatuor filias progenuit, quarum una, in Siciliam Friderici, Regis, filio, Petro copulata, vsque hodie cum liberi possidet regnum illud. Altera Rudolpho, filio Rudolphi Palatini, traditur, de qua unam filiam peperit et decessit. Aliae dueae sorem virginalem morientes ad coelestia transtulerunt.
- 11 CHRONICON STAMENSE l. c. vid. nota 9.
- 12 IDEM ad annum 1205. l. c. obiit inclitus dux, Ludwicus, filius fundatoris nostri, in die S. Mauriti, apud nos humatus. vid. nota 7.
- 13 MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1304. l. c. p. 1433. Interim rex Bohemiae filiam suam, Annam nomine, Henrico, duci Carinthiae, sororio regis, Alberti, matrimonialiter copulauit.
- 14 FRANCISCVS, canonicus Pragensis, saeculi XIV. scriptor, historiae Bohemiae MSCtae P. II. L. I. c. 18. fol. 162. Anno 13000, iv. Non. Octobr. contraxit (Wenceslaus III) matrimonium

nium cum Phiola, filia ducis de Tessin, et sequenti anno rex sororem suam seniorem, Annam, Henrico, duci Karinthiae, Pragae in matrimonio copulauit.

15 ALBERTVS STEYRER in addit comment. pro historia Alberti II, ducis Austriae col. 589.

16 SIGFRIDVS PRESBYTER L.II. ad annum 1306. apud *Pistorium* scriptor. rer. Germ. T.I. p. 1055.

17 MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1305. l.c. col. 1434. Regno Bohemiae vacante, quidam de principibus Bohemis, Henricum, ducem Carinthiae, quondam sui regis generum, ad Bohemiae regnum euocant.

18 IDEM l.c. Henricus igitur, dux, licet magnam haberet regni partem, considerans, sibi tutum non esse, cum sororio suo, Romanorum principe, arma conserere, relinquens Bohemiam, reddit ad montana.

19 IDEM ad annum 1307. l.c. Eodem tempore Henricus, dux Carinthiae, iterato vocatur ad regnum, adueniens ab omnibus Bohemis suscipitur, in ciuitatibus et castris suos officiales constituit, et pacifice regno toto potitur.

20 IDEM l.c. col. 1436, et ANONYMVS LEOBIENSIS l.c. col. 896, seqq.

21 MARTINI POLONI CONTINVATOR col. 1434. et 1436. et ANONYMVS LEOBIENSIS col. 890. et col. 897.

22 ANONYMVS LEOBIENSIS ad annum 1309. l.c. col. 898. Henricus autem ad montana rediit - - nihilominus regni Bohemiae titulum usque in diem sui obitus non dimisit.

23 MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1309. col. 1437.

24 DIPLOMA HENRICI, Tiroli anno CCCXXIV, d.XV. Ianuar. datum, extat apud STEYRERVM l.c. col. 592. Aliud apud eundem, anno domini CCCXXXV in octava purificationis Mariae scriptum, col. 83. Initium est: NOS HENRICVS DEI GRATIA BOHEMIE ET POLONIE REX, CARINTHIE DUX, TIROLIS ET GORITIE COMES, Aqvilegiensis

SIS, TRIDENTINE ET BRIXINENSIS ECCLESIARVM AD-
VOCATVS.

- 25 Patet hoc ex IOANNIS, REGIS BOHEMIAE, DIPLOMATE
Lucelburgi VII. Kal. Maii 1324. exarato, quod exhibet *Steyrer*.
l. c. col. 595. In hoc enim nuntiis suis mandat, ut contrahant
sponsalia inter vnum ex filiis suis, qui non sit desponsatus, ex
vna, et vnam ex filiabus dicti domini ducis Carinthiae, - - ex
parte altera.
- 26 MARTINI POLONI CONTINVATOR ad annum 1330. col.
1448. Eodem tempore rex Bohemiae iter arripuit versus Ca-
rinthiam, ut paecta nuptiarum Ioannis, filii sui, et Margarethae,
filiae ducis Carinthiae, confirmaret. - - Deinde, transiens in
Carinthiam, cum Henrico, Carinthiae duce, praediatarum nuptia-
rum foedera confirmauit.
- 27 CHRONICON STAMENSE ad annum 1335. l. c. col. 458. In
die S. Ambrosii obiit dominus Henricus, illustrissimus rex Bo-
hemiae, et Poloniae, dux Austriae et Karinthiae, comes Tirolis
et Georitiae, filius fundatoris nostri, specialissimus benefactor
noster, capellam S. Ioannis, baptistae, de novo construens, iuxta
magnificentiam regiam dotauit, hic sepultus.
- 28 STEYRERVS in addition. comment. pro vita Alberti II, ducis
Austriae, col. 81. seq.
- 29 FRANCISCVS, canonicus Pragensis, in prolegomenis historiae
Bohem. MSCrae fol. 151. a. s. r. STEYRERO l.c. col. 589. alle-
gatus : Anno domini 1289. in octaua B. Michaelis, anno aetatis
suae (Wenceslai II, Regis Bohemiae,) XVIII, nati sunt duo gemelli,
Wenceslaus et Agnes, et sequente anno idibus Octobris nata est
Anna, praedicti Regis filia.
- 30 IDEM P. II. L. I. c. 18. fol. 162. vid. nota 14.
- 31 CHRONICON STAMENSE ad annum 1313. col. 458. III. Non.
Septembr. obiit domina Anna, Regina Bohemiae, prima concho-
ralis regis, Henrici, filii fundatoris nostri, hic sepulta.
- 32 Colligit hoc s. r. STEYRERVS ex instrumento donationis
propter nuptias, X. Kal. Oct. 1315. Oeniponte exarato, l. c. col. 592.
Initium hoc est : Wir Heinrich - - veriehen, das wir un-

serer lieben Würthin, Frauen Adelheiden, des Edeln Herzogen H. tochter von Bronswick, ze rechter Morgengab haben geben etc.

33 DIPLOMA HENRICI, anno 1324. d. XV Ian. Tiroli datum, a s. r. STEYRERO publici iuris factum, col. 592. *ibi ea conditione donat, vt anniversaria dies chare memorie, domine Adelheidis, illustris ducis Brunsuicensis filie, consortis clarissime, septimo Kal. Sept. - - celebretur.*

34 CHRONICON STAMSENSE ad annum 1320. l.c. In die Agapeti, martyris, obiit domina Adelheidis, ducissa de Braunschwig, secunda conthoralis praefati Regis, Henrici, etiam hic sepulta.

35 DIPLOMA ALBERTI, ducis Austriae, anno 1326. d. XXIV. Decembris 1326. exaratum, apud s. r. STEYRERVM col. 23. Wir Albrecht - - veriehen, das wir mit - - Kunig Heinrich - - von den gewalt, so uns geben ist von der Edlen Frauen, Marien, der alten Grefin von Savoy - - also uberein kommen sien, das wir - - geschworen haben ze den Heiligen, die Edelen Iunkhfrauen Beatrisen, der vorgenandten Grefin von Savoy Tochter, ze gebend ze einer rechten Chonen den vorgenandten Kanig Henrichen etc.

36 Patet hoc ex duobus DIPLOMATIBVS IOANNIS, regis Bohemiae, a STEYRERO col. 595. adductis, quorum alterum datum est Lucelburgi VII. Kal. Maii 1324. alterum Muntzilles VI Non. Jul. 1329.

37 Colligit hoc ex LITTERIS FRIDERICI III, caesaris, et fratrum Alberti atque Ottonis, |ducum Austriae, col. 24. addition. ad comment. insertis AL-BERTVS STEYRERVS l.c. col. 598. ex ratione minime condemnenda.

38 CHRONICON STAMSENSE ad annum 1321. col. 458, In praeuiglia S. Thomae, apostoli, obiit domina Beatrix, comitissa de Sabaudia, tertia conthoralis saepe dicti Regis, Henrici, hic sepulta.

XXIII.

Mascula progenie caruit Henricus. Nec, utrum unquam filius illi fuerit, testibus satis idoneis, probari potest, et si ARNPECKIVS¹ et BVRCKLECHNERVS² Leopol-dum, in pueritia defunctum, nominent. Certius hoc est, prole illum sequioris sexus gauisum esse, ac filiam habuisse, Margaretham, Ioanni, Ioannis, Bohemiae regis, filio, admodum puero, in matrimonium collocatam.³ Praeter hanc autem Henrico fuisse aliam filiam, a recentioribus plerisque neglectam, apertissima demonstratione euinci potest. Etenim cum Ioannes, rex, modo commemoratus, filio Ioanni sponsam quaesivit, atque per quosdam ex administris suis cum Henrico, Carinthiae duce, ea de re agere coepit, his quidem copiam fecit, ut alterius ex filiabus Henrici, quae nulli adhuc sponsa dicta foret, nuptias ambirent.⁴ Utne vero quis Ioannem familiae Henrici Carinthii tunc non satis gnarum fuisse, obiiciat, aliud eiusdem regis diploma in medium produco, in quo Carinthiae ducatui, suo, et Ioannis filii, et Margarethae, et sororis eius, nomine, renuntiavit.⁵ Cum non est probabile ad fidem, Ioannem etiam nunc per errorem Margarethae, nurui, fororem tribuisse, tum patris testimonium mirifice confirmat Carolus, postea caesar electus, quando cessionem, a parente factam, repetit ac corroborat, sororisque, quae Margarethae fuit, mentionem facit.⁶ Huic autem tanto securius credi debet, quod ipse Tirolensem comitatum fratri et Margarethae nomine per aliquod temporis spatium gubernauit, adeoque praesentem Margarethae fororem praesens oculis cernere et alloqui potuit. Adiungo tamen testem tertium, Albertum, Austriae ducem, ex Elisabetha, Henrici, Carinthiae ducis, sorore natum, adeoque arctissima cognatio.

gnatione Margarethae et sorori eius coniunctum, qui et ipse in tabulis quibusdam sororem Margarethae commemoravit. ⁷ Illud vero positum est in controuersia, quae tandem mater Leopoldi, si modo vnquam in rerum natura extitit, et Margarethae, ac sororis huiusce, fuerit. Equidem, si recentiorum auctoritas ad definiendam, hanc controuersiam, sufficeret, minime difficilis foret responsio, Annam Bohemam, saltem Margarethae matrem fuisse. Hoc enim AD LZREITERVS, ⁸ GERHARDVS DE ROO ⁹, et, quem S. R. STEYRERVS ¹⁰ excitauit, BVRCKLECHNERVS ¹¹ suadent. At horum fidei non parum derogat Carolus IV, imperator, vitae et rerum a se gestarum scriptor, quando Margaretham ex Adelheide Brunsuicensi, altera Henrici, ducis, vxore, natam esse, Annamque Bohemam improlem obiisse, testatur. ¹² Ac huius quidem fides tanto plus ad cauissam definiendam momenti habere videtur, quanto facilius et certius illi de matre Margarethae ob proximam consanguinitatem, vel certe affinitatem, potuit constare. At nihil magis probat dicta sua viro supra vulgi sortem perspicaci, ALBERTO STEYRERO, ¹³ qui quidem, ponderatis omnibus, quae, vel ad defendendam, vel impugnandam, Caroli narrationem faciunt, Margaretham Annae Bohemae filiam fuisse,asseuerat. Et certe, cum Ioannes, Margarethae maritus, tum in litteris, ad pontificem maximum, ¹⁴ tum ad episcopum Curiensem, datis, ¹⁵ confiteatur, tam propinquam inter se et Margaretham intercedere cognitionem, quae impedimento esse queat nuptiis, rite contrahendis, non temere hoc ab illo confictum esse, colligit. Ideoque, cum nihil propinquitatis appareat inter Ioannem et Margaretham, si haec ex Adelheide Brunsuicensi genita fuit, matrem eius potius Annam Bohemam fuisse, concludit. Hoc enim supposito, neminem latere potest, Ioannem et Margaretham ex duabus sororibus,

Anna

Anna et Elisabetha, filiabus Wenceslai II, Bohemiae regis, procreatos, secundo cognationis gradu a se inuicem distiisse. Magnum certe, quod ipse fateor, pondus habet hoc argumentum, sed tamen non tantum, quod rem extra omnem controuersiam collocet. Forte enim affinitas duntaxat inter Ioannem et Margaretham intercessit, saltem secundi generis, ut canonici iuris periti loqui solent. Forte etiam nulla omnino cognatione se inuicem attigerunt, cum Margaretha hoc argumento ad tuendam diuortii sui caussam nunquam legatur vfa. Ludouicus certe, imperator, in sententia,¹⁶ de rescindendo Margarethae ac Ioannis coniugio lata, nullam huius impedimenti mentionem facit. Atque nec in cognitione caussae, ab episcopo Curiensi instituta,¹⁷ ulla consanguinitatis ratio habita fuit. Denique Ioannes ipse in litteris, ad pontificem datis,¹⁸ verbis admodum ambiguis cognationis impedimentum allegavit. Nam praesul sese a Ioanne imploratum esse, scribit, ut matrimonium dissolueret, si id cognationis nimis arcta, aut aliis cuiusque impedimenti, specie fieri posset. Interim ego neutiquam negauerim, quod ipse etiam cel. STEYRERVS monet, eum, qui ad infirmandum hoc argumentum eius contradicendi animo accedit, plus certe armorum afferre debere, quam mihi, iam ad finem properanti, est in promtu. Ego vero etiam longissime ab isto obloquendi pruritu, probis viris indigno, absum. Imo me tanto facilius in eruditissimi viri sententiam adduci patior, quo plus roboris habet altera ratio, qua Annam Bohemam Margarethae matrem fuisse defendit, ex ipsis CAROLI IV de vita sua commentariis depromta. Nam hic Margarethae, testatur,¹⁹ fuisse filium naturalem, nomine Albertum, matris suae in expellendo Ioanne, ac de possessione comitatus Tirolensis deiiciendo, fidum adiutorem, quem quidem a se captum, ac, tormentis adhibitis,

ad confessionem eorum, quae contra Ioannem, Caroli IV fratrem, tentata fuerant, coactum esse, ipse memoriae prodit. Quod si ita se habet, ut Carolus scribit, sic certe ratio ineunda est, ut, et Margaretha puerperio sufficeret, et puer ad exsequenda matris consilia aptus esse, et a Carolo IV sine nota saeuitiae quaestioni subiici, potuerit. Igitur ad calculos conuersus STEYRERVS, Albertum, nothum, anno **c*15*ccc*XL*** circiter **xviii** aut **xviiii** habuisse, putat, ut anno admodum **c*15*ccc*XXII*** lucem adspexerit. Quo quidem tempore si peperit Margaretha, saltem **xiv** annorum esse debuit. Atque, his praefultis, tandem colligit, annum fere saeculi decimi quarti septimum aut octauum Margarethae natalem fuisse. Ut vero haec STEYRERI ratiocinatio, et naturae legibus, et supputationi temporum, satis bene respondet, ita vix sese ex hac difficultate expediet, qui Adelheydam Brunsuicensem Margarethae matrem fuisse, asseuerare malit. Hanc autem anno **c*15*ccc*XV*** in matrimonium ab Henrico ductam esse, supra fuit demonstratum. Quod si itaque anno statim subsequente **xvi** Margaretham peperisset Adelheyda, illa certe, nisi praecocem pueroram singere velis, Albertum, filium, ante annum **c*15*ccc*XXX*** eniti non potuisset. Nam et tunc demum vix quartum et decimum aetatis annum compleuisset. At vero, re ita supputata, Albertus anno a c. n. **c*15*ccc*XI*** decennis fuisse, adeoque, nec tantae rei, cum prouidentiae gerendae, par, nec sine crudelitatis criminе a Carolo IV ad oruciatum raptus. Ego igitur sine dubitatione vlla s. r. STEYRERI sententiam meam facerem, nisi ipse Carolus IV scrupulum moueret. Hic vero Margaretham anno **c*15*ccc*XXXV***, emortuali Henrici, Carinthiae ducis, in puerili aetate constitutam fuisse, affirmat, seque eam ob caussam Tirolensem comitatum nomine fratris, Ioannis, impuberis, et Margarethae,

thae, vxoris iuuenculae, rexisse, ait.²⁰ At si nata fuit Margaretha anno C15 CCCVIII, certe anno C15 CCCXXXV longius a puerili aetate abfuit, quam vt Carolo, anno C15 CCCXVI in lucem edito, gubernatore opus habuerit, annum quippe XXVII. agens, vel plane egressa. Est igitur et hic, in quo industriam exerceant eruditii indigenae. Mihi certe, nimium remoto a Carinthiae et Tirolis finibus, nemo aequus vitio vertet, si hunc nodum iis dissoluendum relinquam, qui in claustrorum suorum tabulariis, et annales eorum temporum, et codicillos, asseruant, quorum ope res haec, admodum perplexa, possit expediri. Ego vero post longum diuerticulum ad Margaretham reuertor. Quae, cum anno C15 CCCXXIV a Ioanne, Bohemiae rege, pro filio, Ioanne, sponsa expetita esset, mox anno C15 CCCXXVII illi, sponsalibus solenniter contraetis, addicta,²¹ anno autem C15 CCCXXX connubii lege tradita fuit, consors thalami futura, si Ioannes olim ad pubertatem peruenisset. Probaui hoc iam supra,²² auctoritate vsus scriptoris, qui MARTINI POLONI chronicon continuauit, aliorumque documentorum. Nunc vero et hoc addo, ipsum Ioannem, maritum eius, tum in litteris ad pontificem maximum, tum ad episcopum Curensem, datis,²³ fassum esse, se per decem annos et ultra cum Margaretha consuetudinem habuisse. Quando igitur et ex HENRICO REBDORFFENSI²⁴ et ALBERTO ARGENTINENSI,²⁵ apparet, anno C15 CCCXL I a Margaretha Ioannem repudiatum esse, satis euidenter intelligitur, matrimonium anno C15 CCCXXX consummatum tuisse. Ceterum minus feliciter cessisse coniugium, modo commemoratum, uel ex eo liquidum est, quod Ioannem rem sibi suam habere Margaretha voluit, decennio praeterlapso. Nec obscura est cauſa dissidii, quam et ipsa Margaretha prodidit, cum licentiam mariti deserendi a Lu-

douico IV, caesare, efflagitauit. Hic enim pluribus enarrat,²⁶ de quo Margaretha anxia conquesta fuerat, Ioannem, tentatis omnibus,

quibus incendi iam frigidus aevo
Laomedontiades, et Nestoris hernia posset,
eneruem semper ac elumbem mansisse, ac quotiescumque
ad praelia ventum, in cassum laborasse. Quo maioris igitur
sua interesse credidit misera ac desperabunda, ne per
inertia languidi mariti improles moreretur, tanto minus
in confortio hominis effoeti et exfucci perseverandum esse
duxit. Eamque ob caussam, cum Ioannem anno 1344²⁷ XLII
permissa caesaris de tori possessione deiecisset, anno sub-
sequente XLII in Ludouici, Bauariae ducis, Ludouici IV,
imperatoris, filii, natu maximi, amplexus transiit, socero,
Ludouico, augusto, de propinquitatis impedimento, quod
nuptiis obstare videbatur, gratiam faciente. Enim uero
cum repugnare iuris canonici regulae crederentur, quo
minus sola caesaris auctoritate, iniussu summi pontificis, a
connubii foedere rite discedi, aut in nouum coiri, praeser-
tim a personis cognatis, posset, Ioannes Bohemus, ad secun-
da vota et ipse transiturus, dudum postea anno 1344
XLIX Clementem VI, pontificem R. adiit, ²⁸ vtque, rescisso
prioris coniugii vinculo, aliam sibi lecti sociam quaerere
liceret, impetravit. Denique et Ludouicus Bauarus, iu-
nior, Alberto, Austriae duce, deprecatore usus, Innocen-
tium VI, pontificem maximum, exorauit, vt matrimonium,
cum Margaretha olim initum, anno demum 1344²⁹ CLIX
ratum habuerit, vel potius,rupto priore, licentiam fece-
rit, vt nouo coniungerentur, saluo tamen statu Meinhar-
di, qui iam dudum natus erat.³⁰ Hic enim eo tempore so-
lus superfluit, et si, ex Ludouico et Margaretha plures liberos
procreatos esse, tum ex HENRICI REBDORFFENSIS³¹
chronico, tum ex documentis publicis, sit manifestum.

Non

Non aequae constat, quae iptis nomina fuerint, quandou
nati sint, aut denuo e vita excesserint. Ac ne de Mein-
hardi quidem, quem dixi, natali liquet. **HENRICVS** enim
REBDORFFENSIS, ³² illum non multo post **xvi** Kal. Iul.
cicccclxii mortuum esse, annotat, iuuenem **xiv** circiter
annorum. Sed cur hoc minus tuto credi queat, cel. **STEY-
RERVS** ³³ se ideo habere existimat, quod iam anno
cicccclix Margaretham, Alberti II, Austriae ducis, filiam,
vxorem duxit. ³⁴ Nam exinde colligit, Meinhardum
iam tum pubertatem attigisse, adeoque saltē anno
cicccxliv, forte etiam iam antea, natum fuisse. Certe,
tempus, quo nuptias celebrarunt Meinhardi parentes, mi-
nime repugnat, quo minus eodem anno, aut sub initium
subsequentis **xliii** in lucem edi potuerit. Illos enim iam
iv. Id. Febr. anni **cicccxlvi**. fidem sibi inuicem coniuga-
lem adstrinxisse, ex documento vetere **STEYRERVS** ³⁵
probat. Imo et hoc sententiam eius iuuat, quod primo-
genitus a Margaretha, matre, vocatur, ³⁶ quem satis ma-
ture ex coniugio Ludouici et Margarethae prodiisse, **PHI-
LIPPVS VILLANVS** ³⁷ testatur. Ego tamen haec missa
facio, ac in ambiguo relinquuo. Illud contra satis euidente
demonstratione a cl. **STEYRERO** ³⁸ probatum esse, pu-
to, recte se habere, quod **BVRCKLECHNERVS** ³⁹ aequae
ac **GVILLIMANNVS** ⁴⁰ scripserunt, Meinhardum ipsis
idibus Ian. anno **cicccclxiii** uitam cum morte commu-
tasse. Etenim cum etiam hodie supersint tabulae, **viii.** Id.
Ian. a Meinhardo exaratae, ⁴¹ Margaretha autem, mater,
in aliis **xvi** Kal. Febr. eiusdem anni, illius, ceu mortui,
mentionem faciat, ⁴² non potest non exinde colligi, intra
viii. Id Ian. et **xvi** Kal. Februar. anni **cicccclxiii** Mein-
hardum mortuum esse. Superstes illi fuit Margaretha,
coniux, Alberti II, ducis Austriae, filia, sed sine prole, mox
anno **cicccclxiv** alterum maritum nacta, Ioannem, Mo-

rauiae marchionem, ⁴⁴ Maultaschiae, socrui olim, iunctum.
 Verum sterile et hoc matrimonium fuit, nec diuturnum,
 anno quippe c*13*⁰⁰*00**00**00**00**06**00*, x*00*x. Kal. Februar. morte Mar-
 gerethae abruptum. ⁴⁵ Ipsa denique Margaretha senior,
 Maultaschiae nomine celebris, v. Non. Oct. anno
*13*⁰⁰*00**00**00**00**09**00* uitam deposita, Viennae in choro templi, a
 S. cruce nominati, sepulta. ⁴⁶ Namque ibi nouissimos an-
 nos illam transegisse, STEYRERVS ⁴⁷ latius ostendit, po-
 stequam Tirolensi comitatu, Rudolpho IV, Austriae duci,
 eiusque fratribus, quibus iam anno *13*⁰⁰*00**00**00**00**09* in casum
 mortis Meinhardi promissus ab ea fuerat, ⁴⁸ anno
*13*⁰⁰*00**00**00**00**13**00*, Meinhardi emortuali, cessisset. ⁴⁹ Atque
 inde repetendum esse ius Austriacae gentis in comitatum,
 modo dictum, non ex matrimonio Rudolphi IV et Marga-
 rethae Maultaschiae, quod vulgo fingitur, idem STEYRE-
 RVS latius docuit. ⁵⁰ Nam praeter disparem aetatem Ru-
 dolphi IV, anno *13*⁰⁰*00**00**00**00**19**00* nati, et Margarethae, etiam
 hoc argumento est, nuptias illas commentitias ne contrahi
 quidem potuisse, quod manifestissimis testimoniis appetat,
 Catharinam, Caroli IV filiam, Rudolpho IV anno
*13*⁰⁰*00**00**00**00**17* in matrimonium traditam, anno *13*⁰⁰*00**00**00**00**15*,
 quo Rudolphus IV decepsit, in uiuis fuisse, et anno demum
*13*⁰⁰*00**00**00**00**15*, iv. Kal. Maii exspirasse. Cum igitur et Mar-
 garetha Maultaschia ad annum usque *13*⁰⁰*00**00**00**00**11* in ma-
 trimonio Ioannis Bohemi vixerit, eoque repudiato, Ludo-
 uico Bauaro ab anno *13*⁰⁰*00**00**00**00**12* ad *13*⁰⁰*00**00**00**00**11* marito usa-
 sit, nemo certe erit, qui Rudolphum IV, Austriae ducem,
 illi maritum, vel primum, vel secundum, vel tertium, am-
 plius tribuat.

X **I**VITVS ARENPECKIVS in chronicō Austriaco ad annum 1330.
 apud Pezium script. Austr. T.I. col. 1235. Henricus, rex Bo-
 hemiae et Polonie, dux Carinthiae, et comes Tirolis et Goritiae,
 reliquit filium, Leopoldum, alias Meinhardum, qui hereditatem
 patris

patris non diu pacifice possedit, et filiam, Margaretham, dictam Maultasch. etc.

2 MATTIUS BVRCKLECHNER. in historia comitatus Tirolensis MSCta, a S.R. STEYRERO allegata, L. XII. c. 5. Bey denen letzteren zwei Frauen hat er keine Kinder, aber bey der ersten, wie etliche schreiben, zwey, bekommen, einen Sohn, Leopoldum genannt, so gar iung verstorben, und eine Tochter mit Nahmen Margreta.

3 CHRONICON AVLAE REGIAE ad annum 1327. apud *Freherum* scriptor. rer. Bohemic. p. 60. Item hoc anno in die B. Galli Ioannes, quinquennis infantulus, Ioannis, regis Bohemiae, filius secundogenitus, de Praga versus Carinthiam deducitur, ut sibi familia Henrici, ducis ipsius Carinthiae, quondam regis Bohemiae, matrimonialiter copuletur.

4 DIPLOMA IOANNIS, regis Bohemiae, Lucilburgi VII. Kal. Mai. 1324. scriptum apud *Steyrerum* in additam. comment. pro hist. Alberti II. col. 595. Dantes eis plenam et liberam potestatem contrahendi sponsalia - - inter vnum ex filiis nostris carissimis, qui non sit desponsatus, ex una, et vnam ex filiabus dicti domini ducis Karinthie, quam eligendam duximus, ex parte altera etc.

5 DIPLOMA IOANNIS, in d. S. Dionysii 1336, scriptum, apud *eundem* p. 97. Nos Ioannes etc. rex Bohemiae - - recognoscimus - - quod - - pro nobis ac omnibus heredibus et successoribus nostris, et specialiter pro filio nostro, Ioanne, nec non praeclera Margaretha, conthorali ipsius, ac sorore eiusdem, filiabus magnifici principis, domini Henrici, quondam ducis Carinthiae etc. Eiusdem Margarerhae quoque mentio fit in alio Ioannis diplomate, eodem die dato, apud *eundem* l. c. col. 98. et col. 129.

6 DIPLOMA CAROLI, Viennae Sabbatho ante festum b. Thomae 1341. datum, extat apud *eundem*. l. c. col. 130. seq. Nos Carolus - - profitemur, quod iuxta tractatum et ordinacionis seriem, quam cum magnifico principe, domino Alberto - - super renunciacione - - Karinthie ac iurium - - genitori



nitori nostro, nobis et fratri nostro domino Ioanni et uxori sue Margarethe et sorori eiusdem competencium etc.

7 DIPLOMA ALBERTI II, ducis Austriae, Viennae Sabbatho ante diem b. Thomae datum, extat apud *Ludewig* reliq. MSCt. T. V. p. 530. seqq. n. 45. Nos Albertus profitemur, quod iuxta ordinacionis seriem, quam cum magnifico principe, domino Ioanne, Bohemie rege, super renunciacione ducatus Carinthie ac iurium sibi, filii suis, Carolo, et Ioanni, et uxoris sue, Margarethe, et sorori eiusdem, competencium etc.

8 ADLZREITERVS annal. Boic. P. II. L. IV. p. 65.

9 GERHARD DE ROO annal. Austriac. L. III. p. 113.

10 ALBERTVS STEYRERVS, l. c. col. 650.

11 BVRCKLECHNER. in historia comitatus Tirolensis MSCta; L. XII. c. 5. vid. not. 2.

12 CAROLVS IV, IMPERATOR, in commentario de vita sua p. 90. Deinde iuit Ioannes, rex, in comitatum Tirolis ad ducem Carinthiae, quem expulerat de regno Bohemiae, cuius vxor prima, mortua, fuerat soror matris meae. Demum tamen acceperat aliam uxorem, sororem ducis de Brunswick, cum qua habuit unicum filium, quam copulauit fratri meo, Ioanni, uxorem.

13 STEYRERVS l. c. col. 598. seqq.

14 LITTERAE CLEMENTIS VI, pontificis R. anno vii. pontificatus xvi. Kal. Ian. Auenione datae, extant apud *Steyrerum*. l. c. col. 634. seqq. Exhibita nobis pro parte dilecti filii, nobilis viri, Ioannis, Comitis Tyrolis, pericio continebat, quod licet ipse et nobilis mulier, Margarita, nata quondam Henrici, ducis Carinthiae, quarto consanguinitatis, seu affinitatis gradu, aut infra, se contingenter, ipse tamen etc.

15 LITTERAE IOANNIS, ad Ulricum, Curiensem episcopum, extant, ibid. col. 636. Nouerit quod nos et nobilis domina, Margarita, nata quondam Henrici, ducis Karinthiae, quarto consanguinitatis seu affinitatis gradu vel infra nos contingentes, tunc tamen etc.

- 16 DIPLOMA LUDOVICI IV, imperatoris, sententiam illam continens, adiectum est annalibus HENRICI RIBDORFFENSIS ad ann. 1341. apud *Freberum* T. I. lscript. rer. Germanic. p. 620.
- 17 Exemplum articulorum, in causa diuortii Ioannis et Margarethae concinnatorum, in lucem produxit s. r. STEYRERVS l. c. col. 638.
- 18 Patet hoc ex LITTERIS CLEMENTIS VI, pontificis max^{imo} nota 14 citatis. Ibi Clemens inquit: Quare dictus Ioannes nobis humiliter supplicauit, vt, si inter praedictos Ioannem et Margaritam praedictum consanguinitatis, seu affinitatis, vel aliud canonicum, impedimentum interuenisse, constet, matrimonium ipsum, inter eos contractum, fuisse et esse nullum, denunciari per discretum aliquem, faceremus, vel si de tali impedimento constare non posset, cum, vt afferitur, indubitatum sit, inter eos copulam minime interuenisse carnalem - - inter ipsos Ioannem et Margaritam diuortii sententiam ferri, sibique cum alia contrahendi licentiam coucedere, dignaremur.
- 19 CAROLVS IV imperator in vita sua apud *Freberum* scriptor. rer. Bohem. p. 103. Ego vero (Carolus) secutus sum eum (Ioannem) in comitatum eundem, in vallem Oeni, et ibi secreto cognoui, quod quidam nomine Albericus, filius naturalis vxoris fratris mei, et quidam Baro, magister curiae praedictae vxoris tractarunt - - vt repudiaret fratrem meum, et duceret Ludouicum, filium Bauari, qui se gerebat pro imperatore, - - Haec volens resciscere certitudinaliter, posui secreto insidias eidem Alberto cum Buscone iuniore, et captiuavi eum, duxique per siluam usque ad castrum, quod dicitur Steinbruch, prope Insburcham. Ibi positus ad tormenta, recognouit, omnia sic se habere, sicut relata mihi fuerant.
- 20 IDEM l. c. p. 96. Eodem tempore misit nos pater noster in comitatum Tyrolis, ut eundem gubernaremus, et fratrem nostrum cum sua uxore, ipsis existentibus in aerae puerili.
- 21 FRANCISCVS, canonicus Pragensis, in Chron. Bohemiae MScro P. II. L. II. c. 16. fol. 176. seqq. ad annum 1327. Hoc anno, Ioannes, quinquennis infans, Regis Bohemiae filius secundogenitus

nitus inter superstites, de Praga uersus Carinthiam deducitur, ut sibi filia ducis Carinthiae matrimonialiter copuletur. Idem refertur in CHRONICO AVLAE REGIAE ad annum 1327. apud Freherum scriptor. rer. Boh. p. 60.

22 vid. nota 25 et 26 §. antecedentis xxii.

23 Litterae ad Curiensem episcopum, Vlricum, a Ioanne exaratae, extant apud Steyrerum l. c. col. 636. nota 15. allegatae. Nouerit, inquit Ioannes, vestra paterna circumspetio veneranda, quod nos et nobilis domina Margarita - - matrimonium contraximus per verba legitima de praesenti, et post contractum huiusmodi matrimonii nos simul cohabitauimus per decem annos, et ultra, et per dictum tempus, vel saltem per triennium continuum, infra dictum decennium operam fidelem dedimus copulae coniugali, non tamen potuimus effici una caro.

24 HENRICVS REBDORFFENSIS ad annum 1341. apud Freherum script. rer. German. T. I. p. 619. Oritur discordia inter secundum filium praedicti regis Bohemiae, Ioannem nomine, ducem Carinthiae, ex una parte, et uxorem suam, filiam quondam ducis Carinthiae, ac nobiles eiusdem, ex altera. Vnde ipsa accusat eum, quod sit frigidus, impotens ad carnalem copulam, et asserit se virginem, licet cohabitauerit per decem annos, vel circa.

25 ALBERTVS ARGENTINENSIS apud Vrftifum T. II. script. rerum Germanic. p. 129.

26 DIPLOMA LVDOVICI BAVARI, imperatoris, extat in HENRICI REBDORFFENSIS ANNALIBVS apud Freherum T.I. script. rer. Germ. p. 620. Ibi Ludouicus inquit: Eadem Margaretha in aetate sufficienti similiter constituta, et se ipsam, ut conueniens fuerat, praebente et exhibente ad praefatam copulam carnalem explendam, non potuit dictus Ioannes neque valuit, sicuti neque valet aut potest, nec vñquam posse creditur in futurum eandem carnaliter cognoscere sibi coniugem Margaretham: quemadmodum multis et quasi omnibus possibilibus modis hoc tentans, eundem Ioannem impotentem et omnino inhabilem ad opus praefatum se dicit expertam, etc. etc.

- 27 Testantur hoc tabulae publicae plures; eo nomine exaratae, quas publici iuris fecit S. R. STEYRERVS l. c. col. 634. seqq.
- 28 HENRICVS REBDORFFENSIS ad annum 1349. apud *Freherum* l. c. p. 637. Eodem anno mense Iulio episcopus Curiensis, in cuius dioecesi est castrum Tyrolis, promulgat solennem sententiam diuortii inter Ioannem, fratrem Caroli, et filiam quondam ducis Karinthiae, cui praenominatus Ludouicus, marchio Brandenburgensis, ut vxori suae, cohabitauerat per septem annos et ultra, et duos pueros susceperebat ex ipsa.
- 29 INNOCENTII pontificis R. diplomata, eam in rem scripta, exhibet STEYRERVS l. c. col. 618. seqq.
- 30 HENRICVS REBDORFFENSIS ad an. 1349. vid. nota 28.
- 31 Videantur ARTICVL, ad quos in iudicio ecclesiastico coram Vlrico, Curiensi episcopo, respondit Ioannes Apezko de Glaz, procurator Ioannis. In his sextus his verbis conceptus legitur: „Item quod eadem domina Margarita cum eodem domino Ludouico, ut cum suo marito, per plures annos coabitans, plures ex eo et per eum filios et filias procreauit. Istum confitetur.
- 32 HENRICVS REBDORFFENSIS ad annum 1362. l. c. p. 644. Et idem Mainhardus postea (nimirum post XVI. Kal. Jul. quo in protestatem Stephani, Bauariae ducis, peruennerat) modico tempore superuixit, et mortuus est annorum XIV, vel circa.
- 33 ALB. STEYRERVS in addit. comment. pro vita Alberti II. c. 7. col. 583. seqq.
- 34 Patet hoc ex LITTERIS LVDOVICI, patris Meinhardi et Rudolfi IV, Austriae ducis, Salisburgi d. 18. Aug. 1359. exaratis, quarum initium hoc est: Wir Ludwig - - und wir Rudolph- veriehen und thun kund - - das wir iedwederer Seit das hyrat gut, das wir der vorgenant Marggraff Ludewig geben sullen und wollen dem hochgeborn Herzog Meinharden, unsern lieben Sun, zu der durchleuchtigen Margaret von Osterreich, seiner ebelichen Wirtinne etc. Extant hae litterae apud Steyrerum l. c. col. 615. seqq.

- 35 ALB. STEYRERVS l.c. col. 584. prouocans ad chartam veterem codicis MSCti in bibliotheca Viennensi.
- 36 DIPLOMA MARGARETHAE, Tiroli VII. Febr. 1363. scriptum, apud Steyrerum l.c. col. 586 ibi verba: de quo praedictus Antonius de gratia et dominatione illustris principis, domini Meinhardi, marchionis Brandenburgensis etc. piae recordationis, primogeniti nostri charissimi, - - exulatus fuisse dinoscitur etc.
- 37 PHILIPPVS VILLANVS historiar. L.II. c. 78 p. 152. Per reverenza del P. dre Lodovico la (Margareta) prese per donna, velendo il matrimonio con colore, ch' l' primo era impotente a generare. Della detta Contessa assai tosto Lodovico hebbé un figliuolo maschio.
- 38 STEYRERVS l. c. col. 668.
- 39 BVRCKLECHNER historiae Tirolensis MSCtae L. VII. sect. VII. c. I.
- 40 FR. GVILLIMANNVS hist. Austriae T. I. L. IX. p. 692.
- 41 DIPLOMA MEINHARDI, Tiroli feria VI in epiphania domini anno domini LXIII scriptum, habet Steyrer l. c. col. 668. seq.
- 42 DIPLOMA MARGARETHAE, datum Meraniae am Fritag vor Sand Sebastians tag, da man zahlt nach Christi geburh dreyzehn hundert Jar, darnach in dem drey und sechzigsten Jar, habet idem l. c. col. 356. seq. Initium hoc est: Wir Margret - - bekennen - - das wir angesehen haben den grossen gewalt, den der almächtig Gott an uns in kurzen Zeiten geworicht hat, also das es uns die Hochgeboren Fursten Marggraf Ludbeigen - - unsfern gemahlt, dognach Marggraf Meinharden etc. unsfern lieben Sun saeliger gedachtnisse von dieser Welt genommen hat, etc.
- 43 BVRCKLECHNER l.c. anno 1363. darauf - - den 13. Ian. in 14. Jahr seines Alters ohne Erben zu Meran gestorben
- 44 Pater id ex DIPLOMATE IOANNIS, Morauiae marchionis, Viennae d. XXIV. Februar. 1364. exarato, apud Steyrerum l. c. col. 670. Initium hoc est: Wir Ichanns - - bekinnen - - vmb die taydinge, die nun nechst ze Brunne gefluehen snt zwischen uns an einem tail, uud dem hochgebohrnen Fursten

sten Herzog Rudolffen ze Osterreich etc. an dem andern, von de
puntusse wegen - - und arch von des heyrat gus wegen,
das uns der egenant Herzog Rudolff von Osterreich zu der
Hochgebohrnen Furstinne, Frauwen Margarethen, weilent
Margrefinne ze Brandenburg etc. seiner Schwester, unser eli-
chen Wirtinne, geben und beschaiden sol etc.

- 45 Latus id ex antiquis documentis probauit STEYRERVS I. c.
col. 683. Nam in charta antiqua capituli generalis Carthusien-
sis annus emortualis dicitur 1366. In NECROLOGIO autem ve-
tere scribitur obiisse XIX. Kal. Febr.
- 46 NECROLOGIVM MSCTVM coenobii conuentualium ad S. cru-
cem Viennensis, a s. R. STEYRERO col. 653. allegatum. V. Non.
Octobr. anno domini 1369. obiit serenissima domina Margare-
tha, marchionissa senior de Tirolis, hic sepulta in choro nostro.
- 47 STEYRERVS in vita Alberti II. addit. c. 3. col. 371. ex CHRO-
NICO MSCTO AVSTR. dom. prof. soc. Iesu Vienn. ibi verba:
und fuer mit ir selbs Leib gen wyenn, dye der Furst (Rudol-
phus IV,) innehet, erberlichen, unzt das sy abgieng.
- 48 Documento est DIPLOMA MARGARETHAE, Monachii ipsis
Non. Septembr. datum, apud eundem, l. c. col. 355.
- 49 DIPLOMA MARGARETHAE datum ze Bozen d. XXVI. Ian.
1363. apud eundem l. c. col. 358. Add. CHRONOGRAPHVS SA-
LISBURGENSIS ad annum 1363. apud H. Pezium scriptor.
Austr. col. 450.
- 50 STEYRERVS l. c. in addit. ad c. 4. col. 564. lit. D.

+ XXIV.

Verum de familia Henrici, ducis Carinthiae, haec suffi-
ciant. Restat, ut seriem principum nostrorum persequa-
mur, ac videamus, quem tandem Henricus, sine mascula
prole defunctus, in ducatu Carinthiae successorem habue-
rit. De Tirolensi enim comitatu dicere, hic non attinet, ad
Margaretham, Henrici filiam, illum peruenisse, ab eaque,
ut supra narratum est, tandem post mortem filii vnicj,

Meinhardi, Austriacae genti relectum esse. Carinthiam contra ea conditione in Mainhardam translatam a Rudolpho, caesare, fuisse, diximus, ut, deficientibus heredibus masculis, eius sanguine ortis, ad principes Austriacos reuertetur. Hac enim lege possessione illos cessisse, perhibent **GVILLIMANNVS** ¹ et, qui huius fide et integritate nititur, **ALB. STEYRERVS.** ² Neque mihi constitutum est, in dubium vocare **GVILLIMANNI** auctoritatem, ut, me scrupulo quodam vrgeri, difficeri nequeam, quod Ludouicus IV, imperator, in litteris, inuestiture, Austriacis concessae, testibus, nullam iuris illius reseruati mentionem facit. Interim hoc certum est, parum pensi habuisse Henricum ius Austriacorum, quando id egit, ut Carinthia ad suas, vel etiam fratrum filias, deuolueretar, si forte contingerer, ut sine mascula sobole e viuis abiret. Hoc enim **CHRONICI AVLAE REGIAE** ³ scriptor refert, Henricum, quem dixi, Ioanni, genero, ut primum in Carinthiam venit, spem succedendi in prouincias fecisse. Quae ut tanto certior esset, docente **ANONYMO LEOBIENSI**, ⁴ a Ludouico, caesare, id priuilegii impetravit, ut etiam filiae, et ex his nepotes neptesue ducatus Carinthiae aequa ac Tiroensis comitatus heredes fieri possent. Parumque abfuit, quin vtraque prouincia feudorum mere hereditarium naturam indueret. Namque Ludouicus Henrico eam gratiam fecerat, ut illas in generos quoque suos, vel unum, vel plures transferre, praeuio caesaris consensu, posset. ⁵ Denique, ut ne quicquam intermitteretur, quod ad rem, in tutu collocandam, pertineret, Ioannes, rex Bohemiae, in Carinthiam profectus, opera sua effecit, ut incolae fidem suam Margarethae, et sponso eius, seu coniugi, sacramenti-religione interueniente, addixerint. ⁶ At his tamen Austriaci neutquam adeo deterriti fuerunt, ut animum Carinthiae consequendae abiecerint. **Quin** potius **eodem**

eodem anno Ludouicu^m IV, imperatorem, sibi recens conciliatum, ac de iniuria, quam Carinthiae contemplatione passuri erant, edoctum, GVILLIMANNO⁷ testante, permouerunt, vt in arbitros, qui rem cognoscerent, compromiserit, vt sententiam libere dicerent, instructos. Ab his igitur, Augustae Vindelicorum congregatis, VI. Kal. Dec. anni cccccxxx pronuntiatum esse, idem GVILLIMANNVS refert, integrum esse debere Austriaeorum in Carinthiam successionem, si Henricus sine masculo herede decederet, Tirolensem comitatum inter illos et caesarem in partes expressas diuisum iri, denique in arbitrio caesaris fore, quid filiabus Henrici videretur relinquendum. ⁸ Cum itaque anno cccccxxv prid. Non. April. Henricus, dux Carinthiae, diem supremum obiisset, Otto et Albertus, fratres, duces Austriae, cum proceribus Carentanis, et Auifsteinio in primis, prouinciae mareschallo, vt agnoscerentur ab iis, conuenerunt. ⁹ Atque etiam a Ludouico, caesare, in Carinthiam inuitato, vi. Non. Mai. eiusdem anni Carinthiae ac Tirolis, terrarum quippe, vt in diplomate dicitur, ad imperium reuersarum, inuestituram acceperunt. ¹⁰ Praeuidentes autem, Ioannem, Bohemiae regem, vix aequo animo laturum esse iacturam regionum, quarum dominium iam animo conceperat, foedus etiam addiderunt, secundum quod mutuis fere aduersus illum auxiliis defenderent, ac ea, quae pacti fuerant, tuerentur. ¹¹ Nec frustra. Ioannes enim ex Gallia, vbi aliquamdiu moratus fuerat, redux, ac de eo, quod gestum erat, certior factus, confessim legatos ad Austriaeos misit, occupata repetituros, adiectis minis, per arma sepe vindicaturum esse, quod precibus obtinere non posset. ¹² Ac, ne inania verba iactasse videretur, mox anno subsequente cccccxxvi copioso exercitu instructus, sociis etiam Carolo, Hungariae rege, et Henrico, Bauariae duce, genero, stipatus, in Austriam venit, tam faustis belli auspi-

